MODUS
ARCHI-CONFRATERNITATIS ROSARIANÆ,

Introducendæ & Fundandæ, ex Bullis Summorum Pontificum excerptus, & juxta Pontificale, ac Rituale Ord: Prædic: collectus, solenniterq; practicatus.

NECNON

Indulgentiarum Perpetuarum Summarium: Inscriptionum, ac Electionum Rosarianarum, itidem ex Bullis Summorum Pontificum descriptarum, coordinata Praxis, ad majorem utriusq; Sacratissimi Rosarij promovendam devotionem.

Fundatoribus, ac Promotoribus Rosarianis Publicam in Lucem producitur, & exhibetur

AC SPECIALITER

Perillustri, & Admodum Reverendo Domino,

D. CASIMIRO FABIANO DOBRAKOWSKI,

CANONICO PILECENSI, CURATO, ROSARIANOQVE FUNDATORI WOYKOWICENSI,

In strenam dedicatur, & offertur,

Ab Adm R. P. F. DOMINICO FRYDRYCHOWICZ, *S. Th: Doctore, Ord: Prædic: An: 1764. Calendis Ianuarij.*

Superiorum Permissu.

CRACOVIÆ, TYPIS ACADEMICIS.


I. D. Q. Sc.

PERILLVSTRI, & ADMODVM REVERENDO DOMINO.

C. CASIMIRO FABIANO DOBRAKOWSKI

Ecclesiæ Collegiatæ Pilecensis
CANONICO,
Woykovicensis Parochiæ PASTORI,
Doctori, & Curato Vigilantissimo,
Notario Apostolico,

Cælestium Strenam Perennem Benedictionum,
Fr. DOMINICVS FRYDRYCHOWICZ, S. Th: Doct: Ord: Præd.
D. D. D.

C*Ælestem, Perillustri, & Adm Rendæ Dominationi Vestræ pro omnium felici decursu, ac decurrendorum annorũ cursu, defero Strenã. CÆLESTEM, quia cælestibus Rosis, purpureo IESV CHRISTI Sanguine rubentibus, & candidæ Innocentiæ Virginalis bysso albicantibus, præstantissimam. CÆLESTEM, quia salutationibus Angelicis, Increato de Immensæ Diuinæ Sapientiæ Cælo emanãtibus, ditissimam. CÆLESTEM, quia Sole Orationis Dominicæ, Lunâ Professionis Fidei, Stellis Indulgentiarum lucidis-*

ſimis, ipſaq́; Viâ Exemplorum Sanctorum Lacteâ, illuſtriſſimam: Strenam (inquam) Roſarianam, ex qua non annorum ſed ſæculorum pro Vniverſis Electis DEI enata eſt felicitas. Multum ſanè intereſt, non aliam ſed Roſarianam Perilluſtritati Veſtræ deferre ſtrenam; ſed quid dico? Deferre, imò Congratulari. Iam Tuæ pridem Pietati Roſarium Sacrum à Cælo, à Toto Ordine Prædicatorio, à Noſtra Hyacinthina Provincia eſt collatum, ſed in ſtrenam Primæ Felicitatis. Prima Tua poſt DEVM & Dominum Noſtrum IESVM CHRISTVM Felicitas, eſt Immaculatiſſima Deipara Virgo MARIA Roſariana. Hæc eſt (teſte S. Germano) Felicitas hominum ſummè nova, omnique præſtans miraculo. Hæc eſt (teſte Ioan: Tritemio) Reparatrix Felicitatis æternæ. Hæc eſt (teſte S. Io: Damaſc:) Refocillatrix Adami & Evæ, per quam receperunt illi ſortem felicitatis antiquæ. Hæc eſt (teſte Dion: Carthuſ:) Salvatrix Orbis: quia gratiam & felicitatem nobis precatur. Hæc eſt (approbante eodem Carthuſ:) Vas Dilectiſſimum SRIRITVS Sancti, quod idem SPIRITVS Sanctus, ſummè & ſingulariter adimplevit, priùs omni dono gratiæ & virtutum, ac poſtmodum OMNI FELICITATE donis, ac dotibus gloriæ. Ecce in Deipara Immaculatiſſima, coadunata invenitur Felicitas, NOVA, ANTIQVA, & SEMPITERNA. Ergo quia quartam non inveſtigare poſſumus Felicitatem, jam OMNIS FELICITAS in hoc Vaſe SPIRITVS Sancti in Deipara Virgine MARIA agnoſcitur, adoratur, & collaudatur congregata, ſed Roſariana. Enimvero Deipara Sacratiſſima eſt illa Roſa (Beato Alberto in Laudibus Virginis Libro 12. referente) quæ

quæ cum perfectè creverit sursum patula, deorsum undiq; flectitur, quià ad perfectum incrementum Exaltationis cælestis sublimata, & ad Divini luminis susceptionem, totâ Virtute expansa, ad mortalium suffragia per Compaßionem undique, sine Personarum acceptione flectitur, & æqualiter, id est Communicativè est illi cura de omnibus. Itaq; in hac Mariana Rosariana Strena, Tua Perillustris Domine sita ac fundata est omnis Felicitas, NOVA, ut novis semper Tua Pietas cumuletur benedictionibus. ANTIQVA, ut gratijs, donis, ac Privilegijs in Paradiso amißis Tua Pastoralis Dignitas instauretur, confortetur, refloreatq; immarcescibilibus. SEMPITERNA, vt Tuus Rosarianus zelus, SVRSVM semper patulus in meritorum perfectione, DEORSVM expansus in suffragiorum per Charitativam Compaßionem exhibitione, CIRCVMCIRCA in coronâ reflexus, in superabundanti erga omnes, fovente, promovente, & subveniente Communicatione, sempiternis in Horto Gloriæ coronetur sertis, cum Electorum felicißima beatitudine. Non plus vltra. Hic meta ultima rationalis Creaturæ. Et quidem Perillustris Domine, meorum studiorũ laborumq; scholasticorum Promotor Egregie, quia exactè compertum habeo, Te nullâ terrenâ Felicitate (quæ semper est, fuit, & erit vanitas vanitatum) delectari, hinc taceo Tuas inter terrenos homines promulgare Virtutes; taceo Subjecta in Vniuersitate Iagelloniana Tuis sumptibus educata; taceo tot proximorum ac Hospitalium sublevatas neceßitates; taceo novam Canonicatûs Pilecensis Tuâ erectam Liberalitate Fundationem; sed hæc omnia non tacebit verùm usq; ad cælos semper proclamabit Rosariana Woyko-

vicensis

vicensis per Te fundata Angelica Confraternitas; ac proinde non Terrenam sed Cælestem, & quidem Rosarianam (ut gratior odore fiat) offero & expopto Felicitatem in strenam omnium Annorum, Divina ex Providentia Tuæ Pietati Perlllustri concessorum & concedendorum. Suscipe ergo Perillustris Domine, hanc Felicitatis strenam, in Felicissima Rosariana Deipara Virgine MARIA (Felicitatem Tuam procurante) oblatam, & me Tuum Clientem Innova in Tua Gratia, Antiquatum redde in Tua Confidentia, & Tuo Pietatis Exemplo etiam ad Sempiterna promove, pro mutuo Sacrarum Rosarianarum Orationum affectu. Ita rogo, precor, subscribo, & Remaneo.

Perillustri Dominationi Vestræ,

Semper Obligatissimus,

Servus in Christo,

FR. DOMINICUS qui supra

mpp.

MODUS
ARCHICONFRATERNITATIS ROSARIANÆ,

Introducendæ & Fundandæ, ex Bullis Summorum Pontificum excerptus, & juxta Pontificale ac Rituale Ord: Præd: collectus, solenniterq; practicatus, prout supposita docet

NARRATIO.

De introductione Sanctissimi Rosarii, in Ecclesiam Woykovicensem.

PAstorali ex officio desiderans Perillustris & Adm̄ R̄ndus Dominus D. CASIMIRUS FABIANUS DOBRAKOWSKI, Canonicus Pilecen: Ecclesiæ Woykowicensis Parochus & Apostolicus Notarius, suarum ovium salutem æternam, totis viribus promovere: Divina ex inspiratione, promovendæ fidelium salutis modum assumpsit, quem olim Virgo Immaculatissima Dei Genitrix MARIA proposuerat Magno Patriarchæ Divo DOMINICO, Fundatori Sacri Ordinis Prædicatorum, nimirum ut Rosarium ejusdem Virginis Immaculatissimæ in sua Parochiali Woykovicensi Ecclesia, fundandum, plantandum, erigendumq; procuraret. Igitur quidquid habuit Pauper Christi *Fundatio inscripta.*

totum id (summam videlicet duorum millium florenorum Polonicorum supra villam Witow, pro perpetuo Censu annuali reemptionali inscriptorum) ad fundationem obtulit Rosarianam. Et cùm jam posuisset (ut prudens Architectus) fundamentum, petiit ab Ordine Prædicatorio (cui ex Summorum Pontificum perpetuâ Sententia, Rosarium est hæreditarium) ejusdem Sanctissimi Rosarii Communicationem, Introductionem & Erectionem solennem, & juxta piæ suæ intentionis desiderium ab Admodum Reverendo Patre THOMA MDZEWSKI, S. Th: Doctore, per Poloniam Majorem & Minorem, necnon per Silesiam Priore Provinciali, obtinuit Commissarum introducendi Sanctissimi Rosarii, cujus Introductio solennis pro Festo Præsentationis ejusdem Genitricis Dei MARIÆ fuit assignata. Cùm igitur Sacra Dies immineret, habitis omnibus præparamentis Rosario solenniter introducendo necessariis, convocatisq; & rogatis, Prælatis, Præsbyteris, Religiosis, Nobilibus, multâq; Christi fidelium turbâ concurrente ad diem sacrum in Concionibus antecedaneis denuntiatum; In Campo Woykowicensi erectum fuit Tentorium militare, sub quo collocata fuêre ad custodiam matutinam, Crux Christi, Portatilis Imago Beatissimæ Virginis, Vexilla, cæteraq; Insignia Rosariana & Mensa præparata ad Missam celebrandam. Defuerat enim eo in loco Ecclesia vicinior, ex qua Rosariana Processio institui debuisset: dum autem adest Ecclesia aliqua licet propè Italico milliari distans, commodiùs in ipsa & ab ipsa Solennitas Rosariana instituitur.

Petitio Rosarÿ instituta.

Introductio concessa.

Invitatio populorum in Concionibq facta.

Præparamenta Rosariana.

Illucescente Aurorâ, Tubis concrepantibus, Aurora Mistica Sanctissima Virgo MARIA salutari inchoata, concurrenteq; populi ad Tabernaculum seu Tentorium multitudine, Mensa Ecclesiasticè adornata, intra ostium Taberna-

Inchoatio Introductionis.

culi posita est. Supra ipsam, Portatilis Imago Beatæ Virginis MARIÆ (ita ut ab omnibus inspiceretur) decentissimè collocata, accensisq; cereis, & iterum atq; iterum concrepantibus Tubis & tonantibus mortariis, Commissarius Rosarianus inchoavit Antiphonam genuflexus ante Altare, *Záwitay ranna lutrzenko &c.* Quâ totâ per numerosum populum decantatâ, brevem præmisit sermonem de Sanctissimæ Virginis Præsentatione sese in Campis Woykowicensibus præsentante, sub themate, *Ego flos campi.* Alia versio legit, *Ego Rosa Saron. Ego Rosa saturitatis.* prælibatisq; Rosarianis excellentiis totam Primam Partem Gaudiosam solenniter cum explicationibus Mysteriorum recitavit.

Ave Stella Matutina

Cantanti populo successit Chorus seu Capella Musicorum cantu figurali decantans Litanias, & Commissarius Rosarianus (ex Licentia Celsissimi Loci Ordinarii) protunc celebravit Missam lectam supra jam præparatum Altare portatile, cum portatili Imagine erectum, & desuper Baldachino coopertum, circum assistentibus Sacerdotibus numerosis, eâq; finitâ extimam solùm vestem scilicet Casulam vulgò *Ornat* deposuit, & supra Albam quâ erat indutûs & manipulo ac stolâ ornatus, cappam sericeam induit, Laudesq; Rosarianas Virginis Sanctissimæ quâ potuit voce, ratione, devotione, continuavit, in hæc ad finem prorumpens verba.

Missa celebrata ante Processionē Rosarianā

Ornamēta Cōmissarij.

Hæc est Rosa Alabandica. *Lacteo flore splendescens.* quia (affirmante D. Cretense) *Decebat Virginem eâ puritate nitere quâ major sub cælo nequit intelligi.* Hæc est Rosa Batavica *Centifolia:* imò Millionifolia, quia (attestante Laurentio Iustiniano) *Quidquid honoris, quidquid felicitatis habetur in singulis, totum abundat in Virgine.* Hæc est Rosa Cinamonica *Pleno Flore* quia (deprædicante D. Bernardo) *Plena est gratiarum, plena rore cælesti, innixa super dilectum deliciis affluens.*

Laudes Rosarianæ D. V. M.

 Hæc

Hæc est Rosa Damascena *Odoratissima*; quia est (testante D. Chrysippo) *Pratum Fragrantiæ Spiritûs Sancti.* Hæc est Rosa Prænestica *Variegata* omni virtutum colore refulgens: quia est (scribente D. Methodio) *Eximium universi terrarum orbis decus & ornamentum.* Hanc igitur Præcelsam Fulgidissimam Exornatissimamq; Rosam MARIAM Quis est qui velit eam habere? Quis est qui hanc Rosam Ordini Prædicatorio hæreditariam optaret sibi Communicatam usurpare? Quis est qui hanc Rosam hodie in Campis Woykowicensibus sese præsentantem, jam in foribus tentorii stantem, jam ad ambulandum accinctam, intra hortum domesticum Ecclesiasticum cum omnibus Gratiis, Privilegiis, Indulgentiis, Universisq; Spiritualibus donis rogaret, postularetq; introductam perenniter possidere?

Hic ante gradûs Altaris genûa flectens facie ad Mansuetudinem composita Pius Fundator superpelliceo ornatus, supplicationem publicam hisce verbis contextuit.

Postulatio, publica Fundatoris, pro introducendo Rosario.

Ego humilis Pastor Ecclesiæ Woykowicensis Supplico Divinæ Majestati ut Rosam Mysticam Virginem Sanctissimam Dei Genitricem MARIAM cum omnibus suæ Divinæ misericordiæ donis in Ecclesiam meam Parochialem introducere concedat. Supplico ipsimet Virgini Sanctissimæ Rosarianæ, ut oculo Misericordiæ meam respiciens intentionem, Benigna Mater, cum Rosarianis donis ad Ecclesiam meam venire dignetur. Supplico Sacro Prædicatorum Ordini Sacratissimi Rosarii hæredibus perpetuis, & vobis præsenti Commissario Rosariano, ut hæreditatem Vestram Rosarianam meæ Ecclesiæ Woykowicensi communicare, prædictamq; Sacram Rosarianam Archiconfraternitatem fundare, erigere, & instituere dignemini pro adaugenda gloria Dei, pro Virginis Sanctissimæ multiplicando honore, pro

ovium mearum promovenda salute, iterum atq; iterum supplico.

Huic petitioni respondit Commissarius Rosarianus his verbis.

Qui petit accipit, & pulsanti aperietur: & qui quærit invenit: est certissima Christi JESU assecuratio. Quia igitur Tuâ Pietate Perillustris Domine quæsivisti Rosam Mysticam, Rosarianamq; Confraternitatem desiderasti, en jam in hisce campis latè patentibus eandem invenisti, mox possessurus; quia pulsasti ut portæ Rosarianæ Tibi aperirentur; en jam per portas Rosarianas patet tibi aditus ad Thesauros immensos Rosarianos. Quia Hæredibus Rosarianis per Virginem Immaculatissimam institutis, per Sedem Apostolicam approbatis, supplicasti; en jam adsumus ex Dei benignitate huc missi, adsumus ex Sanctæ Sedis Apostolicæ Authoritate huc destinati, adsumus à Sacri Ordinis nostri Superioribus, Divi Hyacinthi Principalissimi in Regno Poloniæ, Rosariani Promotoris Successoribus huc directi, ad Communicandam Tuæ Pietati Rosarianam Hæreditatem, ad erigendam Archiconfraternitatem, ad plantandum cælestium Rosarum Rosarianam devotionem. Quòd ut manifestè evidenterq; cunctis pateat, en has publicas solenniesq; Institutionis, Erectionis, Fundationisq; Rosarianæ Literas ad Te Tuamq; Ecclesiam Perillustris Domine directas producimus, præsentamus & promulgamus.

Petitioni Sacra annuendum.

Hic Literas Patentes solennes in magno pergameno exaratas titulum præfixum literis aureis descriptum habentes, produxit monstravitq; Commissarius Rosarianus, easdemq; Patentes tradidit suo socio clara & intelligibili voce perlegendas. Erat autem Patentium Tenor prout de verbo ad verbum sequitur.

Literæ Patentes Sacratiſſimi Roſarii.
In Nomine SS^mæ Trinitatis.

Patentes Literæ SS. Roſarij.

Fr: Thomas Mdzewſki, Sacræ Th: Doctor per utramq́ Poloniam necnon Sileſiam, Prior Provincialis, Ordinis Prædicatorum. Perilluſtri & Admodùm Reverendo Domino, Domino CASIMIRO FABIANO DOBRAKOWSKI, Pilecenſi Canonico, in Woykowice Kościelne Parocho Vigilantiſsimo, Notario Apoſtolico, Salutem, Roſarumq́ Myſticarum Benedictionem.

IMmaculatiſſimæ Dei Genitricis MARIÆ, Myſticum Roſarium cælo delapſum, à Coronato vate divinioribus in prævidente Spiritu titulis eſſe liquet exornatū, quòd nimirum ſit *Mons Dei. Mons pinguis. Mons Coagulatus.* Et verè Roſarium Myſticum illibato MARIÆ honori ſacratum, eſt *Mons Dei*, in quo nobilioris formæ celſitudine (quàm olim in Monte Sinai vices Dei gerens Angelus apparuerat) Magni Conſilii apparuit Angelus Chriſtus JESUS, carne humanâ velatus. Et iterum Myſticum Roſarium. *Mons Pinguis*, eſt, noſtri Redemptoris, non ſolo Horti Gethſemanici perfuſus ſudore, ſed abundantiſſimè pretioſiſſimo ſimulq; copioſiſſimo meriti ac valoris infiniti Hypoſtaticâ ab Unione promanantis ſanguineo cathaclyſmo impinguatus. Tertiò tandem Roſarium Myſticum, *Mons coagulatus*, eſt Chriſti reſurgentis victorias deprædicans, ipſamq; mortem (quæ hominem à Deo, imo & ipſam animam Chriſti ab ejus ſacratiſſima ſeparaverat carne) ducens in triumphum, iterum reunitæ ejuſdem animæ & corporis glorioſi immortalitatem evangelizavit coagulatam. Hunc Roſarianum

Myſti-

Mysticum Montem, ut Prædicator Evangelii Sanctissimus noster Patriarcha DOMINICUS ascenderet, mandato Divino ab ore Isaiæ promulgato admonitus fuerat hisce verbis: *Super montem excelsum ascende tu qui Evãgelizas Syon.* Quem ab Isaia figuratum montem Supremus Vicarius Christi Pius V. Beatitudinis in militanti Ecclesia decoratus Tyarâ, non alium nisi Virginem Sanctissimam ejusq; Rosarium (in Brevi *Consueuerunt*) intellexit, nobisq; dum sic fatur explicavit. *Spiritu Sancto ut piè creditur afflatus D. Dominicus Ord: Fratrum Prædicatorum Author, levans in cælum oculos & montem illum Gloriosæ Virginis MARIÆ, Almæ Dei Genitricis, (quæ germine suo caput serpentis obtrivit & cunctas hæreses sola interemit, ac benedicto fructu ejus ventris, mundum primi Parentis lapsu damnatum sanauit, & de quo sine humanis manibus abscissus est lapis ille, qui ligno percussus, gratiarum aquas affluentes produxit) respiciens, modum facilem & omnibus peruium ac admodum pium orandi & præcandi Deum, Rosarium seu Psalterium ejusdem B. V. M. nuncupatum (quo eadem B. V. salutatione Angelicâ centies & quinquagesies ad numerum Dauidici Psalterii repetitâ, & Oratione Dominicâ ad quamlibet decimam, cum cæteris meditationibus totam ejusdem Domini nostri IESV Christi vitam demonstrantibus interposita veneratur) excogitauit, excogitatum per Sanctissimæ Romanæ Ecclesiæ partes propagauit, orandiq; modo prædicto per asseclas D. Dominici fratres videlicet Ordinis Prædicti diuulgato, & à nonnullis acceptato, caperunt Christi fideles his meditationibus accensi, his precibus inflammati, in alios viros repentè mutari, hæresum tenebræ remitti, & lux Catholicæ fidei aperiri, & àd hanc orandi formam, pro locorum diuersitate sodalitates per Fratres ejusdem Ordinis ad hoc à suis Superioribus legitimè deputatos institui, & Confratres in eis describi.* Quod

Author Rosarij S. Dominicus.

Effectus Rosarij.

Quod Summi Pontificis Oraculum, apertè declarat Rosarium Marianum esse montem Dei quem respicere, Montem Pinguem ex quo ditescere, Montem Coagulatum in quo Sanctitati adhærere feliciter edocemur. Cum igitur à nobis Officioq; nostro tua Perillustris, Eximie & Admodùm Reverende Domine, Domine CASIMIRE DOBRAKOWSKI Virtutum Lauris exornatissime Pietas ac Devoto specialis erga Virginem Sanctissimam desideraverit, instanterq; petierit ut Ordini nostro hæreditariam, per Summos Pontifices nobis hucusq; immobiliter conservatam, ac Supremis bonorum Spiritualium auctam thesauris, Archiconfraternitatem Rosarianam in Ecclesiam Woykovicensem, Tituli S. Martini Episcopi, & S Dorotheæ, Diœcesis Cracoviensis, introduceremus, hâc Tuâ devota supplicatione moti, devotis libenter annuimus votis, & ipsimet aliis Spiritualibus distracti negotiis, cùm id per nosipsos pronunc exequi non possimus, Admodùm Reverendo Patri & Theologiæ Doctori, Fratri DOMINICO FRYDRYCHOWICZ (cujus Rosariana in prædicatione zelum ac devotionem compertam habemus) hoc negotium committendum esse duximus prout defacto præsentibus, in virtute Spiritus Sancti & Sanctæ obedientiæ committimus, Eidemq; illud Exodianum 15. præceptum promulgatum imponimus ad effectuandum. *Introduces eos & plantabis in monte hæreditatis tuæ firmissimo habitaculo tuo.* *Introduces* nimirum Archiconfraternitatem Rosarianam in prænominatam Ecclesiam Woykowicensem (præsuppositâ priùs à Celsissimo Illustrissimo ac Reverendissimo Principe Domino, Domino JOANNE MAŁACHOWSKI, Episcopo Cracoviensi facultate ac admissione obtentâ) juxta Summorum Pontificum statuta, ac Generalium Capitulorum, Ordinis nostri præscriptas Ordinationes, ac deniq; juxta laudabilem

Introductionis conditiones.

hujus

hujus Archiconfraternitatis cum omni solennitate praxim ac consuetudinem. *Introduces eos & plantabis in Monte*, Vitæ JESU Christi Exemplar, perfectionem, ac Evangelii Summam fidelibus proponendo, Mysteria Redemptionis nostræ in cordibus eorum altiùs infigendo, ac Virginea Rosariano ex horto desumpta, Immaculatissimæ Dei Genitricis MARIÆ, mente, corde, ore, pleniùs elogia proponendo. *Plantabis eos in Monte hæreditatis tuæ.* Hujus hæreditariæ Archiconfraternitatis omnia totius Ordinis Bona Spiritualia Omnibus Inscriptis ipso facto ex vi susceptæ Confraternitatis esse Communicata, denuntiando; omnes ac singulas à Summis Pontificibus Sixto, Leone, Clemente, Paulo, Julio, Pio, Gregorio, ac recentissimè Innocentio XI. ipsis esse in perpetuum elargitas Indulgentias explanando. Ac tandem *Plantabis eos in Monte hæreditatis tuæ firmissimo habitaculo tuo*, nimium authoritate Reverendissimi Patris nostri Magistri Generalis ANTONINI CLOCHE Sac. Theologiæ Professoris, sic annectendo in perpetuum à te erectam Confraternitatem, ut sciat se spectare ad Ordinis nostri hæreditatem, ita ut si contigerit in prædicto loco seriùs aut citius uno milliari aut duobus distante Confratres Ordinis Nostri Conventum habere, eò ipso absq; alia aliqua declaratione hæc Confraternitas Rosariana Woykowicensis ad Fratres nostros tanquam ad fontem suum cum omnibus suis bonis spiritualibus & temporalibus redire debeat ac devolvi. Quæ quidem iuxta normam primæ Archiconfraternitatis Romanæ super Minervam erectæ, in omnibus Rosarianis actibus, obligatur, simili modo sese gubernare, ac hujus suæ Erectionis, Plantationis, & Institutionis Confirmationem quantocius ab Officio Ordinis nostri obtinere Ad perpetuam rei memoriam. Ac demum ut hæc recens Archicon-

fraternitas Rosariana Woykowicensis Institutio, maneat sub legitimo Directore ac Promotore, Præsentibus eidem Admodùm Reverendo Patri, Sacræ Theologiæ Doct: Patri DOMINICO FRYDRYCHOWICZ Committimus, cum omni ordinaria facultate, & authoritate, Confratres in prædictam Confraternitatem inscribi petentes recipere, & supra eosdem, Directorem seu Promotorem Rosarianum vel ipsummet Prænominatum Perillustrem Eximium & Admodum Reverendum Dominum Prælatum Fundatorem vel ab ipso ad hoc munus præsentatum instituere ac præficere, qui possit, valeatq; omnes & singulos utriusq; sexûs Christi fideles ad hanc Confraternitatem inscribere, Rosaria benedicere, ac eosdem pænitentes Confratres à casibus reservatis, Censuris (Casibus Bullæ Cænæ exceptis) absolvere, ac juramenta quæcunq; sine juris alieni præjudicio relaxare, ac vota quæcunq; (exceptis visitationibus terræ sanctæ, liminum Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, ac S. Jacobi in Compostella, necnon Religionis ac perpetuæ Castitatis) in alia pietatis opera juxta Leonis X. Bullam *Pastorû æterni.* & Sixti V. *Dum ineffabilia* (præsuppositâ in Promotore instituto per loci Ordinarium ad Confessiones approbatione) immutare, ac omnia & singula quæ per Ordinis Nostri Promotores in nostris fieri solent Ecclesiis exequi. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Amen. Quorum omnium præmissorum Rosarianæ Introductionis ac ejusdem in prænominata Ecclesia Erectionis Fundationis ac cum ordinaria potestate Institutionis Instrumentum publicum à Notario Sacrâ Authoritate Apostolica instituto confici debet. In quorum fidem præsentes manu propria subscripsimus & Sigillo Majori Officii nostri communiri mandavimus.

Authoritas Promotoris Rosariani.

mus.

mus. Datum in Conventu Nostro Cracoviensi Sanctissimæ Trinitatis. Anno Dñi 1697. Martii 17.

In hisce Patentibus ad extra seu in altera parte.

Admissio Erectionis Rosarianæ.

STANISLAUS à Slupow SZEMBEK, Dei & Apostolicæ Sedis Gratia, Episcopus Dionisiensis, Suffraganeus, Canonicus, Vicarius in Spiritualibus & Officialis Generalis Cracoviensis.

UNiversis & singulis quibus interest aut quoquo modo interesse poterit significamus. Quia nos visis præinsertis Introductionis Rosarianæ pro Ecclesia Woykowicensi Nostræ Diœc. Cracoviensis literis sanis salvis & integris, easdem literas in omnibus & singulis articulis, nexibus, periodis, Commatibusq; Authoritate Ordinariâ admissimus, & facultatem, prædictam devotionem præfatæ Confraternitatis in præallegata Ecclesia, juxta leges & Privilegia à Summis Pontificibus Sacro Rosario Concessa & à Sacro Prædicatorum Ordine practicata promovendi concessimus, prout constat nobis de certa fundatione coram actis Castren: Crac: Feria 6ta post Festa Omnium Sanctorum proximè. (prout fusius in Originali) piè ac liberaliter facta, & iteratò Admittimus, Concedimus, Nostramque Fundatori ac Rosarianis Confratribus impartimur benedictionem. In quorum fidem præsentes Manu Nostrâ subscripsimus. Datum Cracoviæ in solita Nostra Residentia, Die 5. Novembris. Anno Dni 1697. Non obstantibus præmissis Facultatem exponendi Sanctissimum Sacramentum pro tempore prout nobis visum fuerit concedendam, al-

tiori nostræ Dispositioni expresse reservamus & non aliter
STANISLAUS SZEMBEK, Episcopus Dionisien: Suffraganeus &c.
qui supra.

Stemmata Rosariana proferuntur, & benedicuntur.

Stemmata Rosariana.

Perlectis Patentibus, Confratres Rosariani steterunt circa Altare proximè, tenentes Insignia, & Stemmata Rosariana, nimirum unus Crucem pro Confraternitate præparatam, alter & tertius Vexilla Rosariana, 4tus, 5tus, 6tus, Cappas nouas rubras, alii Candelas, Disciplinas, Oraria seu Globulos. Commissarius autem Rosarianus, talem exorsus est sermonem. Jam omnes. &c.

Stemma Primum Rosarianum, *Est CHRISTUS Crucifixus.*

Isti sermones Benedictione antecedentes polonice dicebantur.

JAm omnes & singuli audistis, & intellexistis quia adsumus missi ad prædicandum Rosarium juxta Divi Pauli præceptum ad Rom: 10. *Quomodo enim prædicabunt nisi mittantur?* Missionarii Rosariani sumus, cum authoritate Apostolica hùc adsumus, cum omnibus Stemmatibus Rosarianis huc advenimus. En videte & attendite quæ vobis attulimus Rosariana Stemmata ut vos vestramq; Ecclesiam Woykowicen: iisdem insigniremus ac nobilitaremus. En primum Stemma Rosarianum (*in manu sua Commissarius tenens Crucem Rosarianam eamq; populo monstrans*) est Christus Crucifixus. Etenim in mystico Rosario cum Doctore Gentium *Prædicamus Christum & hunc Crucifixum.* Christus Crucifixus, est totus Roseus Sponsus, Candidus & Rubicundus. *Candidus* (ait Jacob de Vorag:) *propter candorem mentis. Rubicundus propter fulgorem Deitatis Candidus* (ait Hugo Card:) *conuersatione: Rubicundus Passione. Candidus* (ait D. Bonau:) *in egressione: Rubicundus in*

Christus Cãdidus & Rubicũdus.

contri-

contritione, *Candidus* (ut ait S. Bernardus) *& Rubicundus eſt Chriſtus, quem circumdant flores Roſarum & lilia conuallium, hoc eſt Martyrum Virginumq; chori.* Iſte ergo Chriſtus Crucifixus, Candidus in Roſariana Prima Parte, per Sacroſanctæ vitæ ſuæ innocentiam, Rubicundus in Doloroſa Parte, per ſanguinis ſui copiam, & Aureus in Glorioſa tertia Parte, per mortis ac inferni victoriam, factus eſt primum & principaliſſimum Stemma & Inſigne Roſarianum. Hoc ſtemma donavit & approbavit Roſarianæ Archiconfraternitati Beatus Pius V. Summus Pontifex. In Brevi *Inter deſiderabilia*: ut Confratres Roſariani ſint ad exemplar Chriſti Crucifixi Candidi mente per Innocentiam, Rubicundi per Crucifixi Chriſti patientiam, & Aurei per futuræ reſurrectionis gloriam. Hoc itaq; Stemma Roſarianum quoties aſpicietis, in Proceſſionibus præferetis, in Cogitationibus habebitis, toties à Chriſto Benedictionem obtinebitis. Inſuper juxta fauorabilem Clementis VIII. in Breu: *Saluatoris*; Conceſſionem, quotieſcunq; orationem Dominicam quinquies & ſalutationem Angelicam quinquies coram Imagine Crucifixi in honorem quinq; plagarum Domini Noſtri JESU Chriſti pro animabus Confratrum Roſarianorum recitaveritis, toties ſexaginta dies de injunctis aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis Relaxationem poſſidebitis. Hoc igitur ſaluti noſtræ utiliſſimum ſignum ſit in perpetuum pro Confraternitate Roſariana Benedictũ.

Poſitam Imaginem Crucifixi in Altari aut à Sacerdote quocunq; in manibus detentam Commiſſarius Roſarianus tali modo benedixit.

Benedictio Imaginis Crucifixi.

Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
Qui fecit cælum & terram.

Domine exaudi &c. Et clamor meus &c.

Dominus vobiscum, Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

BEnedic ✠ Domine hanc Crucem tuam, per quam eripuisti mundum à Dæmonum potestate, & superasti Passione tuâ suggestorem peccati, qui gaudebat in prævaricatione primi hominis per ligni vetiti sumptionem (*hìc aspergatur aquâ benedictâ*) sanctificetur hoc signum Crucis, In Nomine Patris, † & Filii, † & Spiritus Sancti, † ut orantes inclinanteſq; se, propter Dominum ante istam Crucem inveniant corporis & animæ sanitatem. Per Dominum nostrum JESUM Christum &c.

Stemma alterum Rosarianum,

Est Imago Deiparæ V. MARIÆ cum ejusdem Vexillis.

De quibus sic perorabat R. Commissarius.

ALterum Stemma Vestrum en Imago hæc portatilis, ac Vexilla Immaculatissimæ Dei Genitricis MARIÆ. Ipsamet Virgo Sacratissima vera ac genuina est, *Imago.* (ait Andreas Creten.) *Divini Archetypi rectè descripta.* Vos Confratres Imaginem Virgineam portare debetis priùs in anima, ut ad interrogationem: *Cujus est Imago hæc?* Respondeatis: Virginis Rosarianæ. Ut ergo in Archetypum Virgineum Rosarianum evadatis, Imaginem Virgineam cum Vexillis Rosarianis à nobis suscipiatis benedictam, quam quotiescunq; in Processionibus Rosarianis associaveritis & hæc Vexilla portaveritis, pænitentes & orantes, ex Indulto Pauli Quinti. *In Brevi: Cum sicut:* ad Confratres Polonos Rosarianos directo, plenariam Indulgentiam consequemini. Igitur & hæc Imago cum Vexillis omnibus Benedictionem Dei accipiant.

Bene-

Benedictio Imaginis Beatissimæ Virginis MARIÆ.

Adjutorium nostrum in Nomine Domini.
Qui fecit cælum & terram.
Domine exaudi &c. Et clamor meus &c.
Dominus vobiscum. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Sanctorum Imagines pingi non reprobas, ut quoties illas oculis corporis intuemur, toties eorum actûs & sanctitatem ad imitandum memoriæ oculis meditemur: Has quæsumus Imagines in honorem & memoriam Beatissimæ Virginis MARIÆ Matris Domini Nostri JESU Christi Benedicere † & Sanctificare digneris, & præsta ut quicunq; coram illis Beatissimā Virginem suppliciter colere & honorare studuerit, illius meritis & obtentu à te gratiam in præsenti, & æternam gloriam obtineant in futurum. Per Dominum nostrum &c.

Aspergantur aquâ benedictâ.

Stemma tertium Rosarianum.

Sunt Globuli Precarij, vulgò Rosaria Confraternitatis.

EN tertium Stemma Rosarianum, isti Globuli precarii. Hi globuli de cælo cum Manna dulci simul in terras deuenerunt. Manna describens Sacer textus ait, *Minutum quasi pilo tusum.* Alia versio legit. *Species granorum alborum.* Vultis Confratres Charissimi colligere manna gratiarum cælestium, appareat priùs in manibus Vestris species istorum granorum precariorum: ut igitur feliciùs in vos defluat Manna cæleste, levate omnes in manibus vestris vestra Rosariana precaria, quæ dum ob Beatissimæ Virginis MARIÆ reverentiam deferetis, ex Innocentii VIII. indulto, in Brev. *Splendor Paternæ*: Centum annos & totidem

Exod: 16.

Hic in manu elevata quilibet suos globulos præsētavit P. Commissario ad benedicendū.

tidem quadragenas, misericorditer pro injunctis pœnitentiis elargitas, lucrabimini. Igitur hisce Globulis Rosarianis, Rosarianam impertimur Benedictionem.

Benedictio Rosariorum.

Adjutorium nostrum in Nomine Domini.
Qui fecit cælum & terram.
Domine exaudi &c. Et clamor meus &c.
Dominus vobiscum. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens & misericors Deus, qui propter eximiam Charitatem tuam quâ dilexisti nos, Filium tuum Unigenitum Dominum nostrum JESUM Christum de cælis in terram descendere & de Beatissimæ Virginis MARIÆ Dominæ Nostræ Utero Sacratissimo, Angelo nuntiante Carnem suscipere voluisti, ut nos eriperes de potestate diaboli. Obsecramus immensam Clementiam tuam, ut hæc signa Rosarii in honorem & laudem ejusdem Genitricis Filii tui ab Ecclesia tua fideli dicata Benedicas † & Sanctifices, eisque tantam infundas virtutem Spiritûs Sancti, ut quicunq; horum quodlibet secum portaverit, atq; in domo sua reverenter habuerit, ab hoste visibili atq; invisibili semper & ubiq; in hoc sæculo liberetur, & in exitu suo ab ipsa Beatissima Virgine MARIA Dei Genitrice Tibi plenus operibus bonis præsentari mereatur. Per eundem Dominum &c.

Aspergantur aquâ benedictâ.

Stemma quartum Rosarianum, *Est Candela.*

QUartum Stemma Rosarianum est hæc Candela. Sũmum hic attendamus Rosarianum Mysterium, nimirum ipsummet Christum, ex Immaculatissimam Virgi-

Virgine MARIA natum. Nunquam Cerea Cãdela fieri potest nisi cera priùs fuerit conjuncta melli, sic nunquam Rosarium stare potest nisi in Laudibus Christi & Virginis Deiparæ fundatum sit. Sanè favus mellis est Christus, Deipara Virgo est Cera, ait Hugo Card. Sit mel in Cera, Divinitas in humanitate ait Hugo de S. Victore: Ex Favo in quo mel, & cera tandem elaboratur Candela: & ex Virgine Immaculata, Virtute Spiritûs S. efformatur Christus, in quo est mel Divinitatis & Cera Humanitatis. Et quoniam Cera Humanitatis Christi sumpta est de Virgine, hinc est, quòd Cerea Candela in Rosário tam Christum, quàm B. V. MARIAM nobis repræsentat. Hinc optimè D. Cyrillus Virginem SSm̃am nuncupavit Candelam & lampadem inextinguibilem. Et D. Ecbertus hoc idem testatur dicens: V. M. D. *Lampas lucentissima cujus splendore inventa est drachma perdita.* En ergo vobis Candelam, ut perditas animas Vestras inveniatis. En Vobis Cereum benedictum, quo illuminãte Christum & Mariam cognoscatis. Hunc Cereum Benedictum sive ad Missas Rosarianas, sive in Festis SS. Ordinis Prædicatorum præsentes deferendo accensum, ex Benignitate Clementis VIII. *in Brevi: Ineffabilia Dei:* de injunctis pænitentiis trium Annorum & totidem Hebdomadarum indulgentiam obtinebitis. Si verò Sanctissimum Sacramentum ad infirmum dum defertur, cum iisdẽ Rosarianis Cereis associaveritis, iterum ex Indulto prænominati Clementis VIII. *in Brevi: Salvatoris:* de debitis pænitentiis sexaginta dierum relaxationem habebitis. Et quod maximum est, ex Provisione Apostolica Adriani VI. *in Bulla: Illius qui Dominicum Gregem:* hunc Benedictum Cereum Confraternitatis Rosarianæ in mortis articulo constituti si in manibus vestris accensum in Honorem B. V. MARIÆ tenueritis, & ita ex hac vita Confessi migraveritis, Plena-

riam indulgentiam possidebitis. Quod ut faciliùs assequi possitis, eundem Cereum Benedictum habeatis.

Benedictio Candelarum.

Adjutorium nostrum in nomine Domini.
Qui fecit cælum & terram.
Domine exaudi &c. Et clamor meus.
Dominus vobiscum. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DOmine Jesu Christe, lux vera qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, effunde per intercessionem Virginis MARIÆ Matris tuæ, & per quindecim ejus Rosarii Mysteria Benedictionem ✠ tuam super hos Cereos, & sanctifica illos lumine tuæ gratiæ, & concede propitius, ut sicut hæc luminaria igne visibili accensa nocturnas depellunt tenebras, ita corda nostra invisibili igne ac Spiritûs ✠ Sancti splendore illustrata, omnium vitiorum cæcitate careant, ut puro mentis oculo cernere semper possimus quæ tibi sunt placita, & nostræ saluti utilia, quatenus post hujus sæculi caliginosa discrimina, ad lucem indeficientem pervenire mereamur. Qui vivis & regnas &c.

Aspergantur aquâ benedictâ.

Stemma quintum Rosarianum.

Est Vestis sive saccus, vulgò Kápá Brácka.

QUintum Stemma Rosarianum est, hæc Vestis honori Virgineo dedicata. Felices sunt, qui in Palatio Rosariano hisce vestiuntur. Laudavit hanc felicitatem Proverbialista Divinus inquiens: *Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus.* Rosariani, sunt domestici Mariani: Vestiti tamen duplicibus. Alia versio legit. *Diploidibus, Coccineis, Secundariis.* In Sacratissimi Rosarii partibus, omnes

istæ

istæ reperiuntur vestes: Vestem Diploidem seu subductam, ac Duplicatam habemus in Prima Parte Gaudiosa, in qua consideramus & credimus JESUM Christum duplici circumamictum veste, nimirum Naturâ Divinâ & Humanâ. Prima Vestis quæ nostris apparet oculis est Humana Natura, in qua visibilis corporaliter apparuit. Altera Vestis subducta & occultata per primam, est Natura Divina. Diploidem ergo in Rosario habemus, dum profitemur Naturam in JESU Christo utramq; , Divinam & Humanam, collaudamusq;. In Secunda Parte Rosariana Dolorosa, habemus vestem Coccineam Purpuream seu rubram: En in Horto Christus Coccineus guttis sanguineis: in Flagellatione totus purpureus sanguine manans: in Coronatione totus rubuit Rex Coronatus: in Crucis bajulatione ac Crucifixione, totus Cruor, Sanguis, Purpura, & Coccus. Toties ergo veste Rosarianâ coccinea induimur, quoties Christũ sanguineum recogitamus. In Tertia Parte Gloriosa, assumimus vestem Secundariam ac Felicissimam, quia secundis auspiciis Christus JESUS peracto bello, debellato inferno, concatenato sathanâ, occisâq; ipsâ morte, felicissimè triumphavit, & nos omnes secundariis induit vestibus gloriosis: Primariæ vestes nostræ quibus cum nostris Parentibus in Paradiso induti fuimus jam detractæ sunt, quia infelices, quia corruptibiles, quia miseriis plenæ; ast Christo resurgente & triumphante, vestes secundariæ, sunt vestes felicitatis, Gloriæ, ac Resurrectionis, utilissimè nobis collatæ. Habemus ergo in Rosario Sacratissimo vestes Diploidas, Coccineas, & Secundarias. Has vestes salutiferas donavit vobis Clemens VIII Summus Pontifex, *in Bulla: de Salute Gregis:* Quas quidem quoties sive in Processionibus solennitatum aut Defunctorum, sive in ipsa morte sepeliendi inductis,

devotè, & deferetis reverenter, toties sexaginta dierum de injunctis pœnitentiis, concessam relaxationem obtinebitis: Ad cujus indulgentiæ acquisitionem, hisce vestibus tribuimus Divinam Benedictionem.

Benedictio Vestium seu Capparum Rosarianarum.

Adjutorium nostrum in Nomine Domini.
Qui fecit cælum & terram.
Domine exaudi &c. Et clamor meus &c.
Dominus vobiscum. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DOmine JESU Christe, qui tegumen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensæ largitatis tuæ abundantiam, ut hoc genus vestimentorum, quod Sancti Patres ad Pænitentiæ & humilitatis, Rosarianiq; erga Virginem Sanctissimam obsequii, ferre sanxerunt: Benedicere ✠ & sanctificare digneris, ut quicunq; hisce usus fuerit, intercedente Virgine Sanctissimâ te induere mereatur, Christum Dominum nostrum, Amen.

Aspergantur aquâ benedictâ.

Stemma sextum Rosarianum.

Est Disciplina seu Virga.

SExtum Stemma Rosarianum est, ista Disciplina. *Apprehendite disciplinam ne quando irascatur Dominus:* admonebat B. Psalmista. Admonitionem Coronati vatis considerando Commentatores, & Sacræ Scripturæ Translatores, legunt, pro *Apprehendite Disciplinam.* imò *Osculamini Filium.* 2dò, *Armamini Filio.* 3tiò, *Adorate Triticum.* 4tò, *Clarificate Dilectum.* En in una disciplina quanta Mysteria? Desideras clarificare Dilectum Christum & Dilectam Mariam; Ergo apprehende disciplinam. Desideras.

ſideras vincere Sathanam, vinces armatus Filio Virginis JESU Chriſto. Si Chriſto vis armari, priùs appredende diſciplinam; Si optas adorare Triticum, Triticum nimirum Electorum, Triticum quod eſt Panis æternæ vitæ, Panis in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento nobis datus; Ergo apprehende diſciplinam, ſi vis ditari tritico Sanctiſſimi Sacramenti. Ad Oſculum tandem admitti anhelas Regis æterni & Glorioſiſſimi; fruſtra anhelas, niſi priùs apprehenderis Diſciplinam. Ergo apprehendite Diſciplinam Roſarianam, ſic glorificabitis Dilectum JESUM & MARIAM, in Angelicis ſalutationibus; his armis debellabitis Diabolicas carnales nequitias; his falcibus metetis Triticum vitæ æternæ; his pulſantibus percurſoriis, aperientur vobis Portæ Goriæ æternæ, ut feliciter ad oſculum æterni Regis & Reginæ, JESU Chriſti & MARIÆ, pervenire valeatis. Hâc ergo Diſciplina ſive in particulari privatim, ſive in Communitate cum Roſariis recitatis, quoties ſeſe flagellaveritis, eaſdem pro animabus in Purgatorio detentis feceritis, & per modum ſuffragii applicaveritis, pro vobis augmentum Gratiæ Divinæ, pro animabus verò purgatorii, omnes ingulgentias Roſarianas ex Benignitate Gregorii XIII. Clementis X. Innocentii XI Summorum Pontificum conceſſas & elargitas conſequemini. Et hæc ipſa Paſſionis Chriſti Inſtrumenta, ſint vobis benedicta.

Benedictio Diſciplinarum.

Adjutorium noſtrum in Nomine Domini.
Qui fecit cælum & terram.
Domine exaudi &c. Et clamor meus &c.
Dominus vobiſcum. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DOmine JESV Chriſte, qui ad Columnam ligatus in toto corpore duros laniatûs ex flagris atrociſſimis conſtanter pro nobis ſuſtinuiſti, & livor vulnus & cruor eſſe atq; apparere voluiſti: obſecramus te humiliter per ſanguinis tui Sacroſancti effuſionem Intercedente B.V. MARIA Matre tuâ gladio doloris traſverberatâ, hos flagrorum faſciculos & diſciplinas Bene†dicere digneris, ut quicunq́ his in memoriam Paſſionis tuæ flagellaverint ſemetipſos, lacrymas compunctionis obtinere, peccata deplorare, remiſſionemq́; eorundé, te miſerante accipere mereãtur. Per Chriſtũ Dñum noſtrum. ℟. Amen. *Aſpergantur aquâ benedictâ.*

Stemma Septimum Roſarianum,

Sunt Flores Roſarum Benedictarum.

De quibus ſic dictum eſt breviter.

POſt ſpinoſæ Diſciplinæ aculeos, en Stemmata noſtra Roſis exornata candidis ac purpureis refloreſcunt. Felix Spina, quàm ſequitur Roſa. *Spina* (inquit Mellifluus Bernardus) *Eva fuit, MARIA Roſa extitit: Eva Spina vulnerando, MARIA Roſa omnium affectus mulcendo: Eva Spina infigens omnibus mortem, MARIA Roſa reddens ſalutiferam omnibus ſortem.* In honorem ergo noſtræ Roſæ Myſticæ Deiparæ Virginis MARIÆ Roſas inter Stemmata connumeramus, ut omnibus notum ſit, qui in Roſarianæ Archiconfraternitatis adſciſcuntur ſortem, quòd per Roſariana Vitæ JESV Chriſti & MARIÆ ſuperacundantiſſimorum meritorum Myſteria, æternam evadant mortem. Porro, Mos eſt Summorum Pontificum in Dominica *Lætare* conſecrare ac benedicere Roſam Auream, eamq́; in ſpecialis Paterni Apoſtolici affectûs, Imperatoribus vel Regibus donare,

nare.

nare. Jam verò in Archiconfraternitate Rosariana, ipsemet Christus IESVS Summorum Pontificum Pontifex, consecratam Sacratissimam Rosam Deiparam Virginem MARIAM, eamq; non unâ Dominicâ *Lætare*, sed in uno D. Dominico Archipromotore Rosariano Lætanter, laudare, benedicere ac prædicare demandavit; & quare ita? Quia per Divum Dominicum dum mediante Archiconfraternitate Rosarianâ, hanc Rosam vult in cordibus nostris plantare, eamq; jure hæreditario nobis donare, per Rosæ condonationem consecratæ, vult nos in Reges & Sacerdotes coronare. Igitur ad tanti mysterii memoriam, hos Rosarum florumq; diversorum calathos, cælesti perfundamus benedictione.

Benedictio Rosarum.

Adjutorum nostrum in nomine Domini.
Qui fecit cælum & terram.
Domine exaudi &c. Et clamor meus &c.
Dominus vobiscum. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DEus Creator & Conservator generis humani, dator gratiæ spiritualis, & largitor æternæ salutis, benedictione tuâ sanctâ benedicas ✠ hos flores & Rosas, quas pro gratiis tibi exolvendis cum devotione ac veneratione, Beatæ semperq; Virginis MARIÆ Rosarii hodie tibi præsentamus, & petimus benedici, & infundi in eis per virtutem Sanctæ † Crucis benedictionem cælestem, ut qui eas ad odoris suavitatem & repellendas infirmitates humano usui tribuisti, talem signaculo Sanctæ ✠ Crucis benedictionem accipiant, ut quibuscunq; in infirmitatibus appositæ fuerint, seu qui eas in domibus suis portaverint, ab infirmitate sanentur, discedant diaboli, contremiscant & fugiant pavidi

cum

cum suis ministris de habitationibus illis, nec amplius tibi servientes inquietare præsumant. Per Christũ Dñum nostrũ. Amen. *Aspergantur aquâ benedictâ. Deficientibus Rosis, naturalibus, formentur artificiales, vel alii odoriferi flores suppleant vicem rosarum. Vnus calathus inter Principaliores Personas distribuatur, alter in Processione deportetur ab aliquo Confratre Rosariano.*

Processio Solennis Rosariana.

PEractis Benedictionibus Rosarianorum Stemmatum, Candelæ Benedictæ sunt accensæ, Vestes inter Confratres distributæ, & Processio solennis, per Mareschalcos Rosarianos sericeis indutos ex Cracoviensi Rosariana assumptos ordinata est. Rosarianus Commissarius inchoavit Secundam Partem Dolorosam, adhortans populos ut in Processione sacra, recolligerent se ire per mare rubrum Passionis Christi ad terram Promissionis vitæ æternæ. Gradatim ergo extendebatur Processio versùs Ecclesiam Woykowicensem. Præcedebat imprimis Religiosus Ordinis Prædicatorum Socius Patris Commissarii Rosariani, ab Acolythis seu pueris habitu decentissimo candido adornatis, lampades in manibus & coronas in capite habentibus, Portans Crucem, in qua sub pedibus Crucifixi, tabella deaurata (afflixas habens Patentes Literas Rosarianæ Introductionis,) erat appensa; sequebantur præeuntem Confraternitates ex circum vicinis locis invitatæ cum suis Vexillis & Imaginibus, ultimo loco novi Confratres Rosariani in Cappis rubris gradiebantur. Imago Virginis Sacratissimæ Rosarianæ, portata à Reverendis Sacerdotibus indutis sacris Dalmaticis, comitante pulchrâ coronâ Sacerdotum Sæcularium, superpelliceis inductorum: In Cappa serica claudebat agmen Com-

Commissarius Ministris Ecclesiasticè ornatis, utroq; ex latere stipatus, Nobilibus subsequentibus, ac numerosissima omnis status & ætatis concommitante turbâ: omnibus in unum decantantibus, Sacrum Rosarium: quâlibet Decade recurrente omnes stabant simul, & brevis fiebat sermo Mysterii imminentis: sicq; Processio solennis ad ipsam Ecclesiam deducta & introducta solenniter, pulsantibus Campanis, tubis, tonantibus mortariis, Organis, Fidicibusq; complaudentibus. Adventantem Processionem ex suggestu, sermone nobilissimo salutavit Excellens & Admodùm Rñdus Dñus, Dominus CASIMIRUS KUROWSKI, Artium & Philosophiæ in Vniversitate Regni Iagielloniana Doctor, ad finem Concionis hæc effuso corde proferens. *O quàm Beati pedes Evangelizantium Pacem, Pacem (inquam Rosarianam,) per quam credimus nos esse in CHRISTO IESV reconciliatos Deo! o quàm Beata Rosariana Capita, quæ nobis Divina per Salutationem Angelicam delata explicant mysteria! O quàm Beatæ manûs Prædicatorii Sacri Ordinis, quæ Marianum cælestium Rosarum plantant in Campis Woykowicensibus Hortum! Beati omnes Hyacinthini Filii, à Magno suo Patriarcha Divo Dominico hùc missi, cum Lampadibus Rosarianis Oleo meritorum CHRISTI & MARIÆ repletis & accensis ad nos adventarunt, ut universas tenebras procul pellant ab Vniversis. Tot titulis Beati Patres, Sacratissimi Prædicatorii Ordinis, salvete & felicissimè salvete cum Vestra Rosariana Hæreditate, &c.* Post concionem salutatoriam, Major Missa cum Expositione SS. Sacramenti est celebrata. In medio Missæ finito *Credo in unum Deum:* iterum Commissarius Rosarianus ascendit suggestum, sermonemq; habuit de Virgine Sacratissima sese ex Campis Woykowicensibus deductam præsentante cum floribus Rosarum in hac Ecclesia Woykowicensi; ex-

plicatisq; sufficienter Gratiis, Privilegiis, Indulgentiisq; Rosarianis, & præmissis protestationibus Nomine totius Ordinis Prædicatorum sibi commissis, tandem solenniter clarâ voce & intelligibili erexit, fundavit, stabilivit Confraternitem Rosarianam sub hac forma verborum ex Cathedra in fine Concionis recitatorum.

Actualis Plantatio, Institutio, & Erectio Sanctissimi Rosarii.

EGo Fr: DOMINICUS FRYDRYCHOWICZ, Sac: Th: humilis Doctor, Authoritate Sacrâ Apostolicâ & specialiter Gregorii XIII. Leonis X. Innocentii VIII. Clementis VIII. Adriani VI. Pii V. Sixti V. Innocentii XI. & Innocentii XII. aliorumq; Summorum Pontificum. specialibus favoribus Rosarianam Archiconfraternitatem prosequentium; Authoritate SSmi Patris Nostri DOMINICI Primi Fundatoris Rosariani; Authoritate Reverendissimorũ Patrum Generalium Magistrorũ Sac: Th: Doct: Professorum & expreßè moderni Reverendissimi Patris ANTONINI CLOCHE Nostri Magistri Generalis Totius Ordinis Prædicatorum; necnon Authoritate D. HYACINTHI Primi Annuntiatoris Rosariani in Regno Poloniæ ejusq; Successorum Admodùm RR. PP. Provincialium, & expreßè moderni nostri Prioris Provincialis Fr: THOMÆ MDZEWSKI, Sacræ: The: Doctoris. Authoritate mihi specialiter Commißâ & indultâ, Erigo, Instituo, Planto, Fundo, firmiter, stabiliter, immobiliter, ad Altare Majus, Confraternitatem SS. Rosarii Beatæ Virginis Dei Genitricis MARIÆ, in hac Ecclesia Woykowicensi, Tituli S. MARTINI Episcopi & Confessoris, necnon Tituli S. CATHARINÆ Virginis & Martyris, in Diœc: Cracoviensi, ac solenniter mediante prædicatione Erectam, Institutam,

tutam, Plantatam, ac Fundatam esse denuntio & declaro: Cum omnibus Indulgentiis (juxta Paulum V. in Brevi: *Cum olim:*) Generaliter & specialiter aut quocunq; modo uni vel pluribus Confraternitatibus, concessis (juxta Gregorium XIII. in Brevi: *Pastoris Æterni*;) Cum omnibus facultatibus, Exemptionibus, Immunitatibus, Concessionibus, etiam Plenariis Indulgentiis per Summos Pontifices (juxta Sixtum V. in Brevi: *Dum ineffabilia*) indultis. Ad omnes & singulas Indulgentias, Privilegia, Indulta, & quascunq; gratias spirituales, tam in vita quàm in morte, omnes & singulos istius Confraternitatis Confratres inscriptos, admitto & recipio. Insuper ad Provinciæ nostræ necnon ex specialibus Gratiis Rñdissimorum PP. Generalium ad Totius Sacri Ordinis Nostri Beneficia, & ad Omnium Sanctorum Nostrorũ, Sanctissimi Patris Nostri DOMINICI, Petri, Antonini, Hyacinthi, Thomæ, Raymundi, Vincentii, necnon Sanctorum D. Catharinæ, Rosæ, Margaritæ, Agnetis, aliarumq; Sanctarum ac Beatarum Sponsarum Christi, Vniversorum Vniversarumq; merita sacra admitto. Hanc Ecclesiam Woykowicensem ad Celebrandum festum solenne Sanctissimi Rosarii (juxta expressum mandatum Greg: XIII. *in Brevi: Monet Apostolus*) perpetuis temporibus quâlibet Dominicâ Primâ Mensis Octobris cum Officio de B. V. MARIA novem Lectionum more Ecclesiastico, obligatam esse denuncio. Expresse quoq; & clarè huic Woykowicensi Rosarianæ Confraterniti significo & declaro, & hanc Hereditatis nostræ præcustoditionem appono, quòd si contigerit in prædicto loco seriùs aut citiùs uno milliari aut duobus distante, Fratres Ordinis Nostri Conventum habere, eo ipso absq; alia declaratione, hæc Confraternitas Rosariana Woykowicensis ad Fratres Nostros tanquam ad Fontem suum, cum

omnibus donis suis spiritualibus & temporalibus redire debet & devolvi. Ac tandem huic Archiconfraternitati erectæ obligationem impono, quòd debeat sese gerere & gubernare in omnibus Actibus, Officiis, Solennitatibus, Electionibus, Juxta Modum, Formam, & Regulam Ordinis Prædicatorum, prout in Ecclesiis nostris fieri solet, & non aliter In Nomine Patris † & Filii, † & Spiritûs Sancti † Amen.

Actualis Institutio Confessarii & Promotoris Rosariani.

Finitâ hâc institutionis Formâ de suggestu descendit Commissarius Rosarianus, & Missa Major solēniter reassumpta & ad Ite Missa est, Deo auxiliāte deducta.

Post ultimum Evangelium celebrans Prælatus in suo sacro apparatu stetit ad cornu Evangelii, & infra ipsum Diaconus ac Subdiaconus. Reverendus autem Commissarius reassumptâ Cappâ sericeâ stetit in Cornu Epistolæ: circumsteterunt alii Prælati & Nobiles: & in medio Sacerdotum ante gradus Altaris stetit Perillustris & Admodùm Reverendus Fundator superpelliceo indutus; à parte Ataris ad latus Reverendi Commissarii steterunt Confratres Rosariani, tenentes Stemmata Rosarianæ quæ suo ordine porrigebant Reverendo Commissario. Igitur hoc ordine constituto Reverendus Commissarius talem exorsus sermonem, hoc ex Themate.

Moyses Vestibus Aaron induit Eleazarum Filium ejus. Num: 20.

SUpremus Cælestium ac Terrestrium Gubernator Deus, omnia ordinatissimè constituens, supra omnia, Ecclesiam JESU Christi Sangvine fundatam constituit ordinatissimam.

Hic

Hic Supremus rerum Provisor, inter animalia Leonem, inter aves Aquilam, principatu præeminere voluit, imo ipsis parvulis apibus Matrem dedit; à fortiori in Ecclesia Summos Pontifices, Columnas Cardinales, Sacros Archiepiscopos, Episcoposq; , Prophetas, Doctores, Prælatosq; ac Pastores ordinavit. Eundem Ordinem ad Supremi Increatiq; Exemplaris imitationem, Virgo Sacratissima Dei Genitrix MARIA, (quæ semper Ordinatissima Pulchra ut Luna, Electa ut Sol, Terribilis ut castorum acies progreditur) in suo sacro Rosariano Horto præscripsit & ordinavit. Primum Horti Rosariani instituit SSmum Patriarcham Nostrum DOMINICũ in Ecclesia: Primum Rosarianum Promotorem ordinavit Divum HYACINTHUM in Polonia: Divi HYACINTHI Successores Rosariani nos sumus etsi indigni. Quia igitur Hortum Rosarianum jam mediante Authoritate Apostolicâ plantavimus, jam Oeconomiã Rosarianam ereximus, jam præclaram hac in Ecclesia Woykowicensi Confraternitatem Rosarianam instituimus, restat ut huic Horto Hortulanum, Oeconomiæ Rosarianæ Oeconomum, omnibusq; Rosarianis Pastorem Rosarianum bonum constituamus. Huic exercendo tam Pio Rosariano operi, Te Perillustrẽ & Adm̃ Rñdum Dñum Fundatorem præficere decrevimus, ut tu in locum Aaronis tanquam novus succedas Eleazar: Aaron interpretatur *Mōtanus, Docens;* Sanctissimus Patriarcha DOMINICUS fuit totus Montanus ob Sanctitatis celsitudinem: totus Docens ob Rosarii prædicationem. Eleazar porro interpretatur *Dei Adjutorium:* Ecce quàm feliciter Montanus Pater DOMINICUS suas Rosarianas Vestes tibi communicat, & Te tanquam Eleazarum in Coadjutorem assumere designavit Rosarianum. Quocirca priùs à Perillustris & Adm̃ Rñda Dñatione Vestra inquiro publicè, Placetne Pietati Tuæ hoc onus Confessarii

 & Pro-

& Promotoris Rosariani in se suscipere, Rosarianumq; Regimen prout fit in Ecclesiis nostris salubriter promovere? *Respondit Perillustris Fundator.* Ad gloriam Dei & Virginis SSmæ honorem, meamq; salutem, onus Confessarii & Promotoris Rosariani in me suscipiam, & secundùm vires à Domino datas promovere promitto & humiliter institutionem hujus officii peto. *Cui Commissarius ait:* Fiat Deo benedicente. *Tunc genuflexit Perillustris Fundator, & Reverendus Commissarius clarâ voce instituit & declaravit ipsum in Confessarium & Promotorem Rosarianum, sub hac verborum summa.*

Forma instituendi Promotoris & Confessarii Rosariani.

EGo Fr: DOMINICUS FRYDRYCHOWICZ, Sacræ Theologiæ Humilis Doctor, Authoritate S. Apostolica & specialiter Gregorii XIII. Leonis X. Pauli V. in Brevi: *Injunctum nobis* Pii V. Adriani VI. Clementis VII. Innocentii XI. & XII. Authoritate SSmi Patris Nostri DOMINICI & D. HYACINTHI; Authoritate Rndissimi Patris Nostri Gnalis ANTONINI CLOCHE; Authoritate A.R.P. Provincialis Nostri Te Adm Rdndum D. CASIMIRUM FABIANUM DOBRAKOWSKI, Canonicum Pilecensem, Parochum Woykowicensem, Notarium Apostolicum, Creo & Instituo SSmi Rosarii Promotorem Principalem, ac Rosarianum Confessarium seu Pœnitentiarium, ut Confratrum Rosarianorum Beatissimæ Virginis MARIÆ Confessiones audire valeas, eosdemq; juxta Summorum Pontificum Leonis X. in Brev: *Pastoris Æterni;* Adriani VI. in Brevi: *Illius qui Dominicum.* Clementis VII. in Brevi: *Inter ineffabilia.* Pii V. in Brevi: *Consueverunt:* Concessiones, Confirmationes ac Declarationes, ab omnibus & singulis Excómunicabus, aliisq; pœnis Ecclesiasticis, Sententiis, Censuris, & pœnis

à jure

à jure vel ab homine quâvis occaſione vel cauſâ latis '& promulgatis, necnon Sacrilegiis, Inceſtibus, Adulteriis, pœnitentiarum injunctarum & Divinorum Officiorum ac Jejuniorum omiſſionibus, aliiſq; eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, delictis, & quantumcunq; gravibus & enormibus, in ſingulis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis (exceptis Bullæ Cænæ Domini Caſibus & Loci Ordinario reſervatis) ac violationis Eccleſiaſticæ immunitatis, pugnantium in duellis, Clauſtra Monialium malo fine ingredientium, manus violentas in Clericos iniicentium, ac reali Simoniâ infectorum, abſolvere, & pro eis commiſſis pænitentiam ſalutarem injungere, Juramenta quæcunq; (ſine juris alieni præjudicio) relaxare, vota quæcunq; (exceptis viſitandi terram Sanctam, limina Apoſtolorum, ac S. Jacobi Compoſtellam, nec non Religionis & perpetuæ Caſtitatis) in alia pietatis opera liberè commutare habeas facultatem. Inſuper urgente nos Charitate Chriſti, ex eadem Authoritate mihi commiſſa, Do & Concedo facultatem Perilluſtri & Admñdum Rñdæ Frñitati Veſtræ, ut Fratribus Roſarianis in agone conſtitutis Abſolutionem & Plenariam Indulgentiam tribuas, eoſdem innocentiæ Baptiſmali reſtituendo juxta formam ab Innocentio XI. in Brevi: *Nuper pro parte:*) præſcriptam. Cæteraque omnia & ſingula peragas, quæ per Promotores & Confeſſarios in Sacro Ordine Prædicatorum creatos & inſtitutos peragi ſolent, ad Dei, Virginiſq; Roſarinæ Honorem, Teq; ſic Promotum & Confeſſarium Roſarianum creatum, Inſtitutumq; eſſe, denuntio & declaro. In Nomine Patris, † & Filii, † & Spiritus Sancti, † Amen.

Quodſi Principalis inſtitutus Promotor habuerit alios Presbyteros à Loci Ordinario approbatos, poterit ipſos præſentare Reverendo Patri Commiſſario, ut in Coadjutores Confeſſionum

illud novo Jure Rosariano insignitum accipe, apprehende, & exosculare ut Rosarianum. (*Hic Perillustris Fundator accessit ad Mensam Altaris, & eandem est exosculatus.*) Hoc in sacro Rosariano Altari quotiescunq; Sacrosancti Incruenti Sacrificii Missam de Sanctissimo Rosario Pietas tua celebraverit, toties & pro sua Persona, & pro Assistentibus, vere pœnitentibus & Confessis, Communicatisq; vel firmum confitendi habentibus propositum, & ad intentionem Sanctæ Ecclesiæ orantibus, ex Clementis X. providentia Pastorali, in Brevi: *Cælestium Munerum*; Omnes Indulgentias, peccatorum remissiones, & Pœnitentiarum relaxationes illas consequetur, quas consequuntur cæteri Confratres vel integrum Rosarium recitando, vel Processioni Rosarianæ Primâ Dominicâ Mensis assistendo. Insuper cum hoc Altari accipe & hanc sacram Imaginem Deiparæ V. MARIÆ Immaculatissimæ, jam Rosariano Titulo exornatam. Veraciter ac eleganter Virgo Sacratissima à Cornelio, Magno Sacræ Scripturæ Commentatore dicta est. *Imago Deitatis in qua Deus præ cæteris puris Creaturis suam sapientiam, amorem, virtutes omnes: & omne decus quoad fas erat exprimeret & mundo repræsentaret.* In hac Rosariana Imagine expressam Divinæ Bonitatis admiraberis (ob Rosariana mysteria) repræsentationem, & experieris affluentiam, Habeasq; potestatē Imagines Rosarianas benedicendi. ℟. Amen.

Vexillum Rosarianū.

Porrigens Vexillum Rosarianum.

ACcipe hoc Marianum Vexillum, & cum Coronato Psalmista liceat Tuæ Pietati gloriari dicendo: *In Nomine Dei nostri Magnificabimur.* Alia versio legit: *In Nomine Dei nostri Vexillis utemur.* 2dò, *Signa inferemus in hostem.* 3tiò, *Magnificè gratulabimur.* Hoc præeunte Vexillo Mari-

ano

ano, Magnificus eris in triumphis, audax contra hostes pugnando in bellis, & à tota Cælesti Curia Gratulationes consequeris; sis ergo Vexillifer Rosarianus, habeasq; potestatem Vexilla Rosariana benedicendi. ℟. Amen. *Globuli Rosariani.*

Porrigens Globulos Precarios.

ACcipe Stemma Rosarianum, hos Globulos Precarios. Isti Globuli Precarii sunt Cant: 7. in sponsa collaudati. *Junctura femorum tuorum sicut Monilia.* Sacri Expositores pro *Monilibus* legunt, *Circumductiones, Circumferentia, Ornamenta aurea, Precaria, Placatoria gratiam conciliantia, & gestatoria Emulata contra ægritudines.* Sane hi globuli precarii Rosariani, verè sunt *Circumductiones*, quia circa ductam à Christo JESU vitam circumducuntur; sunt *Circumferentia*, quia Christum quem in utero Virgo SSma circumferebat, circumferunt in mente & recogitatione: sunt *Ornamenta aurea Precatoria*, quia plusquam aurea virtutum ornamenta impetrant precibus Rosarianis: sunt *Placatoria*, quia & iram Christi placant, ad misericordiam provocant, & ægritudines animi & corporis tollunt. Hæc ergo precaria ornamenta accipe & habeas potestatem Rosarianos Globulos benedicendi. ℟. Amen. *Cādela Rosariana.*

Porrigens Candelam Accensam.

ACcipe hanc Candelam Rosarianam Benedictam, cum qua & oves perditas quærere, & mortis tenebras in Agone repellere, & illuminatricem Virginem MARIAM pro inextinguibili Lampade habere, & Indulgentias illuminantes possis acquirere, habeasq; potestatem benedicendi candelas Rosarianas. ℟. Amen. *Vestis Rosariana.*

Porrigens Vestem Rosarianā sive saccum Cōfraternitatis.

ACcipe hanc Vestem Rosarianam seu Cappam quâ beatificeris. Sacer Ecclesiasticus laudavit Aaronem ob exi-

mias Vestes, quas ipsi Deus contulit per manum Moysi, dicens Eccl: 45. *Beatificavit eum bona ornatu.* Translatio legit: *Roboravit eum Vestibus roboris.* 2dò. *Authoritatem ei conciliavit apparatu sacro.* Profectò Virgo SSma & robur animi ac corporis tibi confert per has Vestes, ut ei quàm devotissimè servias Promotor Rosarianus, confert & Authoritatem ut habeas potestatem benedicendi Vestes Rosarianas. ℞. Amen.

Porrigens Disciplinam.

Disciplina Rosariana. ACcipe & hanc Rosarianã Disciplinam ad quam ore Ecclesiastici convocat Spiritus Sanctus Tuas Parochiales oves, inquiens cap: 51. *Appropiate ad me indocti & Congregate Vos in domum disciplinæ.* Profectò indocti sunt qui ignorant Mysteria Fidei, quæ in sacro Rosario explicantur; tales itaq; congregentur ad Domum Rosarianam, in qua est Disciplina Passionis & Memoriæ IESV Christi. Hanc tu primus accipe ad exercitium, habeasq; potestatem benedicendi Disciplinas Rosarianas. ℞. Amen.

Porrigens Librum Rosarianum.

Liber Rosarianus. ACcipe hunc Librum Rosarianum, in quo descripta est MARIA. Doctè S. Epiphanius. *MARIA Liber incomprehensibilis, qui Verbum Patris mundo loquendum exhibuit.* Ad tuam autem Pietatem Pastoralem pertineat in hoc Libro tuas Oves Rosarianas conscribere, & easdem conscriptas oculis misericordiarum Matri piissimæ repræsentare. Quocirca cùm hoc libro recepto, habeas potestatem quoscunq; fideles recipi petentes, in Confraternitatem Rosarianam recipiendi & inscribendi. ℞. Amen.

Porrigens Claves Rosarianas.

Claves Rosarianæ. ACcipe has Claves Rosarianas, per quas Tuæ Pietati communicatur Potestas administrandi, adaugendi, custodiendi

endi, conservandiq; omnia & singula Rosariana (Concedente Pio V. *in Brevi Consueverunt:)* bona temporalia: eaq; in pios usus Rosarianos convertendi, & pro his laboribus Virgo Sacratissima quæ (teste Epiphanio) *est Clavis Regni Calestis,* Cælestis Patriæ tibi aperiet Portas. ℟. Amen.

Porrigens Virgam Mareschalci *Laska Mar-szałkowska*

ACcippe hanc Virgam directionis Regni Rosariani, ut ad ejus rectitudinem attendens, rectam in omnibus Rosarianam habeas Intentionem. Ad hanc virgam respexerat Jacob Patriarcha. Gen: 47. *Adoravit Israel Deum conversus ad lectuli Caput.* Septuaginta transferunt: *Adoravit super summitatem Virgæ ejus.* Porro Joseph Vice-Rex Ægypti Virgam in manu tenebat, quam Jacob adorabat, quia in summitate virgæ Rosa praeminebat, quæ Stemma erat Regum Ægypti, prout Commentatores Sacri attestantur. In hac Virga, Rosa, est Sanctissima Virgo; hanc tu adorando, Gubernium Rosarianum optimè duces, quia hâc virgâ & *Conversos ad Caput Lectuli* nimirum pigros, negligentes, & in Rosario oscitantes excitabis, & quosvis lupos invasores, fortiter ab ovili Rosariano arcebis. ℟. Amen.

Porrigens Rosas in calatho cum Coronis Rosaceis contentas *Rosa Rosa-riane.*

ACcipe has Rosas quas Tibi de Paradiso Rosariano adfert Ordo Prædicatorum: sed in Rosis accipe MARIAM. *Ipsa enim* (teste D. Bernardo) *est Rosa candida per Virginitatem. Rubicunda per charitatem. Candida carne, Rubicunda mente. Candida virtutem sectando, Rubicunda vitia conculcando. Candida affectum purificando, Rubicunda actum carnalem mortificando. Candida Deum diligendo, Rubicunda proximo compatiendo.* Has ergo Rosas & Coronam

 Rosa-

Rosaceam (*hic Commissarius imponat Capiti Promotoris Principalis Coronam Rosaceam, & Calathum tradat ad manus ejusdem*) immaculato corde & corpore custodias & habeas potestatem benedicendi flores Rosarum in honorem nostræ Rosarianæ Dominæ. ℟. Amen.

Intronizatio Promotoris ad Stallum Rosarianum.

Hic Commissarius Rosarianus accepit ad manum Perillustrem Fundatorem & Promotorem, adduxitq; illum ad Mensam tapete coopertam parùm remotiùs à gradibus Altaris in Choro minori collocatam, in qua Crux & Candelæ stabant accensæ: penes Mensam versâ facie ad Sanctissimum posita erat sedes: in hanc ergo sedem institutum Promotorem inthronizavit, & sedentem constituit hæc proferens verba.

ACcipe Cathedram, Sedemq; Rosarianam, & cum omni potestate guberna Tibi commissum Rosarium: constitue tibi tempore opportuno Officiales Rosarianos, eosdemq; doce, dirige & instrue. Mariana Tota hæc Sedes & Cahedra est. Hinc Petrus Galatinus. Lib. 7. De arcanis Catholicæ veritatis cap: 18 Virginem Sanctissimam. *Solium & Sedem* appellavit dicens: *Quia sicut sedes ornata ac regio more parata sedentis Magnificentiam ac Majestatem indicat, ita Deus in Virgine Beata ostensurus erat Gloriam suam & Claritatem.* Accipis ergo hanc Sedem Rosarianam Marianam, ut in ea ostendas Gloriam Virgineam & claritatem Rosarianam immarcescibilem, in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Consignans Literas Patentes Rosarianas, in tabella deaurata extensas Commissarius ait.

ACcipe tandem & has Literas in Testimonium perpetuum Erecti, Instituti ac Fundati Sacratissimi Rosarii in hac Ecclesia Woykowicensi, benignè & fovorabi-

liter à Sacro Ordine nostro, juxta Summorum Pontificum intentionem elargitas ;memineriſq; nec jota aut apicem minimum in iisdem contentum per transgressionem violare, sed te ad omnium Observantiam esse obligatum, Piâ devotione recorderis. Et per istorum Patentium in actibus Rosarianis observantiam, pro vitæ æternæ Confraternitate Angelica Patentes efficacissimas consequeris. ℟. Amen.

Jam ergo Te ornatum, Stemmatibus Rosarianis cumulatum, beneficiis Spiritualibus adauctum, Rosarianâ potestate authorizatum, per Virginis Sanctissimæ intercessionem verum ac legitimum Rosarianum Fundatorem, Confessarium, Promotorem, Gubernatoremq; Principalem Woykowicensem Deus conservet Sanctum, sanum, & incolumem. In Nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus Sancti, ✠ Amen.

Pro quibus omnibus Divinæ Gratiæ beneficiis per Rosarium jam introductum collatis, devoto corde & ore cantandum restat Te Deum laudamus: *Ante inchoationem* Te Deum laudamus: *Perillustris Fundator & Promotor institutus, Sacro Ordini Prædicatorum amplissimo affectu & pereleganti Orationis stylo gratias egit, ac Universa Munia Rosariana devotè exequi & adimplere promisit, ac genuflexus ante Sanctissimum Sacramentum voce canorâ inchoavit.* Te Deum laudamus: *Hocq; totus Populus, numerosa Nobilitas, ac præsens plurimorum Præsbyterorum Chorus, cum Musicali Capella decantabant. Tandem Celebrans Prælatus:* Salvum fac: *continuavit, dans cum Sanctissimo Sacramento benedictionem*; sicq; Prima Dies manè est solennizata. Post Prandium Tertia Pars Gloriosa Rosariana recitata cum populo: Inscriptiones in Rosarium celebratæ: Vesperæ solennes cum processione Sanctissimi Sacramenti habitæ; & usq; ad noctem cum Concione devotio protracta fuerat, ad Laudem Virginis Sanctissimæ & Domini nostri JESU Christi, in sæcula sæculorum. Amen.

Continuatio Solennitatis Rosarianæ.

ALterâ die pro Confratribus Rosarianis Defunctis celebrata est dovotio: Missa *De Requiem* Cantata, & Sermo Funebralis per Admodum Reverendum Dominum CASIMIRUM KUROWSKI Philosophiæ Magistrũ devotissimè habitus, Processioq; per gyrum Ecclesiæ facta; præcedentibus Confratribus Rosarianis cum sua Cruce, ornatis in suis Cappis. Quâ finitâ devotione, posita est Mensa ante majus Altare Rosarianum cum Crucifixo, & Candelis: & sermo brevis iterum per Rñdum Commissarium est institutus de valore & dignitate Rosarianæ Inscriptionis & Admissione in eandem Confraternitatem. Cum igitur omnes & singuli hospites qui aderant petiissent inscribi & admitti in eandem Confraternitatem vigore heri præmissæ Confessionis (quinimo, prout docet noster P. M. Andr: Coppenstein Lib: 3. de Rosf. cap: 2. num: marginali 4. fol: 277. Confitendi Communicandiq; conditio ad ingressum Archiconfraternitatis Rosarianæ, non est de Summorum Pontificum *Pracepto,* sed tantum *Consilio)* R. P. Commissarius genuflexus, omnibus & singulis flectentibus, ad Virginem Sanctissimam (omnibus eadem verba repetentibus) præmisit supplicationem, infra positam (*de modo recipiendi Confratres.*) inscribendos inscripsit cum solitis Orationibus: & in fine *Salve Regina* cum omnibus decantavit: sicque alterius diei Devotio est terminata, cum tota Introductionis & Fundationis Rosarianæ solennitate, ac erecta noviter Confraternitate; Quam Deus Ter Optimus Maximus, in hac sacra Woykowicensi Ecclesia cum Piissimo Sacræ hujus Confraternitatis Fundatore Benedicere, Continuare & Augmentare dignetur. In sæcula sæculorum Amen.

Benę

Benedictio Erectæ Cōfraternitati data à recedente Rosariano Patre Cōmissario & valedicente.

JAm omnibus ritè ordinatis ad perennem Rosarianam devotionem spectantibus, Rosarianus Commissarius recessurus, Perillustrem Fundatorem ad audiendam suam Rosarianam Missam cum cæteris nobilibus invitavit, ad cujus celebrationem Litaniæ Lauretanæ sunt decantatæ: Finitâ Missâ iterum publico sermone Totam Confraternitatē ad Sacratissimi Rosarii devotionem exhortatus est ut q̃ præeuntē zelo, Fundatoris ac Promotoris omnes sequerentur Pietatē admonuit, & rogavit, & recedēs ab eis hanc ab Altari Rosariano (omnibus flectētibus) Rosarianā tribuit Benedictionē.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Salvos fac servos tuos & ancillas tuas.
℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Mitte eis Auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. In omni tribulatione & angustia.
℟. Subveniat nobis Pia Virgo MARIA
℣. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEfende quæsumus Domine Beatâ MARIA semper Virgine intercedente istam ab omni adversitate Confraternitatem; & toto corde tibi prostratam, ab hostium tuere insidiis. Ecclesiæ tuæ quæsumus Domine Preces Rosarianas placatus admitte, ut destructis adversitatibus & erroribus universis, securâ tibi serviat libertate Per Christum Dominum &c. *Et aspergens eos aquâ benedictâ ait:* Benedictio Dei Omnipotentencis Patris † & Filii † & Spiritus S. † per Intercessionem

Deiparæ V. M. descendat super vos & maneat semper. Amen.

Finitâ Benedictione R. Commissarius Vestes sacras deposuit, interea Choro decantante Salve Regina, *& finitis Missæ Orationibus, reassumpto itinerario Habitu, Benedictionem Recessûs itinerarii accepit à Perillustri Fundatore, & omnibus valedicens in amplexu Christi, peractâ Rosarianâ Missione, cum charitate liberali à Perillustri Fundatore dimissus, ad suos Superiores, Fratres, Conventumq; Cracoviensem Angelo Custode deducente, sanus & incolumis reductus est, ex misericordia Dei. Cui Laus, Honor, Virtus, & Benedictio, in sæcula sæculorum, Amen.*

Modus solennis Fideles inscribendi in Sacras Archiconfraternitates Rosarianas.

P*Romotor Rosarianus inscripturus Christi fideles in Archiconfraternitates Rosarianas, præmissis sufficienter juxta temporis exigentiam adhortationibus, monebit eosdem ut utrumq; simul suscipiant Rosarium. Tum quia 1. Utrumq; Rosarium summam inter se habent connexionem; sunt enim unum Euangelium, unum Fidei dogma, unum in altero inclusum, cùm nec IESVS Christus possit Catholicè nominari, nisi ut Filius Deiparæ Virginis MARIÆ secundùm Humanitatem; nec Virgo MARIA laudari condignè valeat, nisi ut Deipara & Mater vera, de qua natus est IESVS qui vocatur CHRISTVS. 2. Tum quia utrumq; Rosarium est ejusdem Ordinis Hæreditas: utrumq; ab eodem Promotore gubernatur, (& quod maximum est) utrumq; æqualibus gaudet Iuribus, Privilegiis, & Indulgentiis, ut videre est in Brevi Pii IV.* Injunctum nobis: *& in Brev.* Salvatoris. *Gregorii XIII. Alias per fel. record. Paulus V.* Pias Christi fidelium. *Igitur præmissis exhortationibus Petentes inscribet Pius Promotor in Album Rosarianum. Et quoniam apud multos devotos multiplex est modus recipiendi Confratres inscribendos, nos sequimur modum qui conformior est tum ipsimet Rosario, à* Deus in adjutorium *inchoari*

choari solito, tum toti Ecclesiæ in Officiis Divinis sic procedente; alios modos devotos nec excludimus nec vituperamus, sed Matrem Sanctam Ecclesiam gradiendo sequimur.

In Sanctissimi Nominis Dei JESU Christi Archiconfraternitatem Modus solennis Fideles recipiendi.

In Nomine Patris, † & Filii, † & Spiritûs Sancti, † Amen.

Promotor intonet & Confratres cantent alternatim dum adsunt, vel ipse solus oret, vel cum Ministro respondente dicat.

Deus in adjutorium meum intende. Domine ad adjuvandum me festina. Gloria Patri & Filio, &c.

Hymnus.

JESU dulcis memoria.	Dans vera cordis gaudia.
Sed super mel & omnia.	JESU dulcis præsentia.
Æterna sapientia.	Tibi Patriq; Gloria.
Cum Spiritu Paracleto.	In sempiterna sæcula, Amen.

Nomen IESVS Psalmographicum ex Davidicorum Psalmorum sensu commodatum decantatur, Confratribus distributum.

Antiphona. *In Nomine IESV.*

INtende in adjutorium meum: Domine JESU Deus salutis meæ. *Psal.* 37.

EXpandi manus meas ad te JESUM: anima mea sicut terra sine aqua tibi. *Psal.* 142.

SItivit anima mea ad Deum JESUM Fortem vivum: quando veniam & apparebo ante faciem Domini JESU. *Psal.* 41.

UEspere & mane & meridie narrabo & anuntiabo Nomen JESU: & exaudiet vocem meam. *Psal.* 59.

SIc Psalmum dicam Rosarianum Nomini JESU in sæculum sæculi: ut reddam vota mea de die ad diem. *Psal.* 60.

Gloria Patri, & Filio, &c. Sicut erat in principio, &c.

Antiphona. In Nomine JESU omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur quia Dominus JESUS Christus in gloria est Dei Patris.

℣. Ego autem in Domino gaudebo.
℟. Et exultabo in Deo JESU meo.
℣. Laudabo Nomen JESU assiduè.
℟. Et collaudabo illud in confessione.
℣. Propter gloriam Nominis tui Domine libera nos.
℟. Et propitius esto peccatis nostris propter Nomē JESU.
℣. Sit Nomen Domini IESV benedictum.
℟. Ex hoc nunc & usq; in sæculum.
℣. Domine IESV exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEus, qui Vnigenitum Filium tuum constituisti humani generis Salvatorem, & IESVM vocari jussisti: concede propitius, ut cujus Sanctum Nomen veneramur in terris, ejus quoq; aspectu perfruamur in cælis.

Deus virtutum, cujus est totum quod est optimum, insere pectoribus istorum tuorum famulorum Sacratissimi Rosarii Inscriptionem postulantium Ineffabilis Nominis IESV amorem perpetuum, & præsta in eis Religionis augmentum, ut quæ sunt bona, in eis nutrias, & pietatis studio quæ sunt nutrita, custodias. Per eundem Dominum &c.

His præmissis (post Psalmum IESVS cum suis versiculis & Orationibus) Inscribendis genua flectentibus, Promotor Rosarianus hanc eis intimabit obligationis Rosarianæ Sanctissimi Nominis IESV Formulam ex Bullis Summorum Pontificum excerptam: quam illi, verbum post verbum clarâ voce, sequentes Promotoris vocem pronuntiabunt.

Ego N. N. procidens humiliter coram Majestate Domini Nostri

Noſtri IESV Chriſti, confiſus in ejus infinita miſericordia, ad Honorem ejuſdem Nominis Sanctiſſimi IESVS, ad Catholicæ Fidei augmentum, ad meorum conſequendam remiſſionem peccatorum, ſpontaneæ devotionis animo, voveo & promitto Nomen Domini Noſtri IESV Chriſti omni reverentiâ ſupra omnes creaturas, ſemper, & ſpecialiter in Roſario honorare, illudq; corde ad iuſtitiam credere, & ore confiteri ad ſalutem. Propter honorē hujus Nominis IESVS, Spondeo, omnia temeraria, falſa & inhoneſtâ Iuramenta, quæ fiunt extra Iuſtum Iudicium, devitare: Omneſq;, blaſphemias tanquam infernale ſcelus præcavere: ſpondeo nunquam Nomen Domini in vanum aſſumere, nec verba Sacræ Scripturæ, ad malū ſenſum, jocos vel riſûs detorquere: ſpondeo omnes execrationes, maledictiones, dæmonū nominationes, à me & à meis proximis quantū potuero repellere, & in his delinquentes, charitativè admonere: ſed in omnibus & per omnia Tuum Sacroſanctum Nomen ô Miſericordiſſime & dulciſſime IESV deſidero ſemper laudare, benedicere, ac in anima & corpore meo in perpetuū magnificare. Quocirca ſupplico immenſæ Pietati Tuæ per pientiſſimā Tuā Matrē Virginem MARIAM, ut me (*nos*) famulum (*famulos*) tuum (*tuos*) inter filios tuos Roſarianos, hic temporaliter connumerare, & ſigillum amoris tui æterni Sanctiſſimum Nomen Tuum IESVS cordi noſtro indelebiliter imprimere, (*mihi*) nobis in agone IESVS Salvator adeſſe, & poſt mortem inter oves paſcuæ tuæ digneris nos (*me*) miſericorditer collocare, in ſæcula ſæculorum, Amen.

Polonicè.

Ja N. N. Grzeſzny człowiek, upadſzy ná twarz moię przed Máieſtatem twoim, Nayłáſkáwſzy Pánie IEZV Chryſte, duſaiąc nieskończonemu miłośierdźiu twęmu; ná część y ná chwełę Twoiego Przenayświętſzego Imienia IEZVS, ná pod-

wyżſzenie Wiáry Swiętey, y ná odpuſzczenie grzechow moich, z dobrowolnego nabożeńſtwá, obiecuię y ślubuie, iż Imię Przenayświętſze IEZVS będę miał w naywiękſzym y w naywyżſzym poſzánowániu nád wſzytko ſtworzenie: y Rożániec twoy święty pokornie odpráwowáć będę. Wierząc cáłym ſercem, iż to Imię Przenayświętſze IEZVS, ieſt uſpráwiedliwiáiące, y uſtámi nabożnie wymowione ieſt záwſze zbawienne. Dla poſzánowánia tego Przenayświętſzego Imienia IEZVS, odrzekam ſię wſzelkiego krzywoprzyśięſtwá nieſpráwiedliwego y niepoczćiwego: y przyśięgáć nigdy nie będę: oprocz ieżeliby mi Vrząd nákazał dla ſamey ſpráwiedliwośći przyśięgáć, Odrzekam ſię wſzelkiego bluźnierſtwá, ktorekolwiek álbo w ſercu, álbo w słowách przez poduſzczenie ſzátáńskie mogłoby ſię wemnie znáydowáć. Odrzekam ſię Wſzelkiego przeklęctwá y czártow wſpominánia, y piekielnego złorzeczeńſtwá: y ſtáráć ſię będę między moiemi bliźniemi, áby áni krzywoprzyśięgáć, áni nieuważnie przyśięgi wymawiáć, áni bluźnić, áni złorzeczyć, áni czártámi przeklináć, nigdy ſię nie ważeli. Ale oto tylko duſznie ſtáráć ſię będę, áby w moich y moiego bliźniego ſpráwách, Twoie (naymiłośiernieyſzy Chryſte Pánie) Przenayświętſze Imię IEZVS, ná duſzy y ná ćiele moim, ná wieki było chwalone, błogosłáwione, y uwielbione Amen. Przetoż przez Nayłáskáwſzą Twoię Mátkę y Pánnę Bogárodźicę Pánnę MARYA, proſzę ćię Pánie IEZV, rácz mnie (nas) teraz przyiąć do Regeſtru twoich Synow Rożánych: rácz ná ſercách náſzych wyráźić pieczęć twoiey miłośći wieczney, Przenayświętſzego Imienia IEZVS: rácz przy śmierći bydź nąm IEZVSEM Zbáwićielé: á po śmierći rácz policzyć nas między twoie Ogrodu Rożánego chwały wiekuiſtey Owieczki, dáiąc nąm wieczne zbáwienie, ná wieki wiekow Amen.

Poſt recitatam Obligationis (circa omiſſionem Roſarii culpâ & pœnâ carentis) formulam, in Libro Roſariano, Nomina Nouorum Confratrū connotabit, Roſaria ipſorū benedicet, & ut ſint memores obligationis ſuæ, ſcilicet cavendi Iuramēta, blaſphemias, & maledictiones ſedulò admonebit: & tandem ſub hac ſolenni forma recipiet eoſdem ad univerſa Beneficia Spiritualia, Ordinis noſtri.

Receptio ampliſſima Confratrum ad Beneficia.

DE Omnipotentis DEI Miſericordia, de infinita meritorū D. N. IESU CHRISTI liberalitate, nec non de inexhauſta Sacratiſſimæ Deiparæ Virginis MARIÆ gratia in omnes profluente, Authoritatee ejuſdem DEI & Domini Noſtri IESV CHRISTI, & B. M. V. ac Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac Divi Dominici Patriarchæ Noſtri; Authoritate Summorum Pontificum Roſariana Privilegia concedentium; Authoritate Reverendiſſimorum Patrum Ordinis Noſtri Supremorum Generalium, Sacri Roſarij Principalium Hæredum, & Promotorum, Recipio Vos, (Te) ad Archi-Confraternitatem Sacratiſſimi Nominis DEI Domini Noſtri IESV CHRISTI & facio Vos (Te) participes omnium Indulgentiarum & gratiarū à Summis Pontificibus huic Confraternitati conceſſarum, cæterorumq; omnium & ſingulorum bonorum, ac meritorum Totius Ordinis Noſtri, quæ bonitas Divina per uuiverſos Sanctos Noſtros operata eſt, & nunc operatur, & in futurum operabitur, ampliſſimam communicationem, in vita pariter ac in morte vobis concedo & elargior, ut multiplici Sanctorum Suffragiorum præſidio adjuti, hic augmentum gratiæ, & in futuro gloriam percipiatis æternam. In Nomine Patris, † & Filij, † & Spiritus Sancti, † Amen.

Poſt, Pater Promotor, hiſce novis Confratribus gratulabitur hanc præſentem felicitatem, & Sanctorum iam ipſis communicatam

tam à Sacro Ordine meritorum universorum participationem, ob quam Deo, Sanctis, & Ordini. cui sunt gratis incorporati Spiritualem debent perpetuam gratitudinem. Et tandem benè instructi, sub hac dimittuntur oratione.

Benedictio Inscriptorum ex Capella recedentiũ.

℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini IESV.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Sit Nomen Domini IESV benedictum.
℟. Ex hoc & nunc & usque in sæculum.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DEus qui nobis sub mystico Sanctissimi Nominis IESV Salvatoris nostri Rosario, singula vitæ & mortis ac Resurrectionis, nec non Gloriæ tuæ mysteria repræsentas. Da quæsumus, ut quotquot hujusce plantationis Cultores adsciscuntur, cælestis horti sertis triumphalibus coronari mereantur, & inter hujus vitæ varietates tuo semper protegantur auxilio.

Oremus.

OMnipotens sempiterne DEVS dirige actus famulorum tuorũ Rosarianorũ: ut in Nomine IESV Dilecti Filij tui, mereantur bonis operibus abundare. Per eundem Dnũ, &c.

Aspergantur aquâ benedictâ. cum hac Beati Henrici Susonis apprecatione. IESVS Sapientia Patris depellat cuncta adversantia à vobis. Amen.

Supplicatio ad RR. PP. Promotores.

QVoniam hoc infelicissimo sæculo, inundaverunt in nostra Polonia, iuramentorum execrabilium, iniquissimorum, fraudulen-

dulentissimorum publica diluvia, & per impijssimam consuetudinem, Periuria Publica & privata, Atheistico planè sensu jam non censentur esse peccata; ideoq; juxta mentem Summorum Pontificum, ad abolendam hanc Perjurij Infernalis desolationem, utilissimum est omni zelo promovere Sanctissimũ Rosariũ NOMINIS DEI Salvatoris Nostri IESV CHRISTI, Populos ab istis perjurijs avocare, Maledictiones, & Nominationes dæmonum extirpare. Quòd ut feliciùs consequantur, Vtilissinum est, Dominicis secundis cujuslibet Mensis, publicè post Rosarium præassertam obligationis formulam ex Bullis Summorum Pontificum compositam, cum toto populo recitare usq; ad primũ AMEN; sic enim memores erunt suæ obligationis, in materia gravissima, quæ tam zelosè, & sæpè ipsis inculcatur. Et qui ita fecerint, Nomen Domini IESV sibi habebunt propitium in æternum, Amen.

In Immaculatissimæ Deiparæ V. MARIÆ Archiconfraternitatem Modus solennis fideles recipiendi.

In Nomine Patris, † & Filij, † & Spiritûs Sancti, † Amen.

Promotor intonat, & Confratres cantant alternatim dum adsunt, vel solus orat, vel cum Ministro respondente recitat.

AVe MARIA Gratia plena Dominus. *T Minister.* Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

℣. Deus in adjutorium meum intende.
℞. Domine ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.
℞. Sicut erat in principio & nunc & semper, &c.

Hymnus.

MARIA Mater gratiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Gloria Tibi Domine,
Cum Patre, & S. Spiritu.
Amen.

Mater Misericordiæ,
Et hora mortis suscipe,
Qui natus es de Virgine,
In sempiterna sæcula.

Nomen MARIA *Psalmographicum ex Psalterio Divi Bonaventuræ excerptum, decantatur.*

Antiph. *Speciosa.*

MAgnificate MARIAM mecum: omnes qui impinguati estis melle & lacte, recreationis ejus. *Psal:* 33.

APeriantur nobis januæ sempiternæ: ut enarremus in æternum mirabilia ejus. *Psalm:* 6.

REcordare Domina ut loquaris pro nobis bona: & indignationem Filij tui avertas à nobis. *Psal:* 14.

INvenient gratiam peccatores apud Deum: per Inventricem salutis & gratiæ. *Psal:* 9.

ADimpleat petitionem suam in nobis Mater pacis: & viam æquitatis doceat servos suos Virgo MARIA. *Ps.* 92.

Gloria Patri, & Filio, &c. Sicut erat in principio, &c.

Antiph. Speciosa facta es & suavis in delicijs Virginitatis Sancta Dei Genitrix, quam videntes Filiæ Sion vernantem in floribus rosarum, & lilijs convalium, Beatissimam prædicaverunt, & Reginæ laudaverunt eam.

℣. Salve MARIA Mater Pietatis.

℟. Et totius TRINITATIS nobile Triclinium.

℣. Memor esto Congregationis Rosarianæ.

℟. Quam possedisti ab initio.

℣. Ora pro nobis Sancta DEI Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DEus qui Gloriosam Matrem tuam nominari MARIAM voluisti; concede quæsumus, ut qui dulce MARIÆ Nomen in ejus Sacro Rosario implorant, perpetuum sentiant suæ benedictionis auxilium.

Largire

LArgire quæsumus Domine fidelibus tuis Sacratissimo Rosario aggregari postulantibus Indulgentiam placatus & pacem; ut per Sacrosancta Filij tui Redemptoris nostri, Vitæ, Mortis, & Resurrectionis mysteria, intercedente Virgine Sacratissimâ Deiparâ MARIA ab omnibus mundentur offensis, & securâ tibi mente deserviant. Per Dominū Nostrum IESUM CHRISTUM Filium tuum, &c.

Post recitatas has Orationes, flexis genibus Inscribendi hanc recitent suæ obligationis formulam, præeunte & præconizante Promotore.

EGo N. N. procidens humiliter coram Tua Sacratissima Majestate ô Virgo Deipara MARIA superexcellentissima, humiliter supplico, digneris me suscipere in servum tuū, & connumerare inter tuos filios Rosarianos. Scio ô Mater Misericordissima, quia neminem spernis, nec repellis à Tua Misericordia, digneris ergo & me suscipere, in tuam Protectionem, & admittere in Hortum Rosarianum, ut in eo sim dignus Filij Tui Domini Nostri IESU CHRISTI Sacrosanctam Incarnationem, Dolorosissimam Passionem ac Crucem, nec non Gloriosissimam Resurrectionem meditari, venerari, & Vitam ejusdem Salvatoris Nostri salubriter imitari. Quocirca ô Virgo Dulcissima, me indignū peccatorem tuis sacris provolutum pedibus scribas in Regestrum tuorum Rosarianorum Filiorum, ut Tuæ Pientissimæ Protectionis perpetuò sim particeps, vivendo, agonizando, purgatorium patiendo, & etiam æternaliter cum Universis Sanctis Tuam Misericordiam in cælis collaudando: Pro qua patrocinante gratia, ego meipsum Tuæ Majestati trado in servum perpetuum, & quàmdiu vixero, voveo & promitto Te Sacratissimam Deiparam Virginē MARIAM, in Sacro Tuo Rosario, collaudare, & omni septimanâ (extra culpæ & pænæ obligationem) quâ potuero devotione illud recitare: Filiumq; Tuum Dominum Nostrum

IESUM CHRISTUM toto corde diligere ſpondeo, uſq; in ſempiternum. Sic me DEus adjuvet, & Sacroſancta Paſſio ejuſdem Filij Tui IESU CHRISTI, & Tua Adjutrix, & Conſervatrix Miſericordia. Amen.

Polonicè.

JA N, N. Grzeſzny człowiek upadſzy pokornie ſercem moim przed Máieſtatem twoim Przenaświętſza Bogárodźico Pánno MARYA, uprzeymie proſzę Miłośierdźia twoiego ábyś mnie raczyłá przyiąć zá ſługę twoiego y policzyć między Synow twoich Rożáńcowych. Wiem ô Mátko miłośierdźia, iż nikogo nie opuſzczaſz y nikim nie gárdźiſz; racżże tedy przyiąć y mnie niegodnego pod twoię obronę, y przyłączyć mnie do Synow twoich Rożáńcá Swiętego, ábym w nim zoſtáiąc, mogłem godnie rozpámiętywáć Twoiego Przenaświętſzego Syná, IEZUSA CHRYSTUSA Syná Bożego Przedźiwne Wćielenie z innemi táiemnicámi, Boleſne Umęczenie y ſkonánie, tákże Chwalebne Zmartwychwſtánie, náśláduiąc Zyćia Páná moiego IEZUSA CHRYSTUSA, y cáłym ſercem Boſkie pełniąc przykazánie. Przetoż ô Mátko Miłośierdźia racz mnie przyiąć do Regeſtru Rożánego, ábym záwſze doznawał Opieki twoiey Swiętey, żyiąc, konáiąc, y w czyſcu zoſtáiąc, á potym w niebie ze wſzytkiemi chwaląc ćię Swiętemi. A ia zá tę łáſkę otoć ſię oddáię zá ſługę wiecznego, y iák długo żyć będę obiecuię y ślubuię w káżdey Tydźień Rożániec Swięty odpráwić, ktorego iednák z iákieykolwiek okázyi opuſzczenie, zá winę dla karánia, nie ma mi bydź poczytáne; Obiecuię potym y ślubuię ô Mátko Miłośierdźia, iż Twoiego Syná chwalić, wielbić, y kocháć będę áż ná wieki. Ták mi Pánie Boże dopomoż, y Przenadroższa Męká Páná moiego IEZUSA CHRYSTUSA, y Twoie nieſkończone Pánno Przenaświętſza Bogárodźico MARYA Miłośierdźie. Amen.

Poſt

Post receptam hanc obligationis formulam, recipiet Inscriptos ad Privilegia Archicōfraternitatis, & Bona Spiritualia Totius Sacri Ordinis, prout supra annotata est Receptio Confratrum ad Beneficia fol. 45: solùm pro nomine: Sanctissimi Nominis Dei: *dicendo:* Sanctissimæ Deiparæ Virginis Mariæ: *& cætera facienda faciat. Et recedentibus hanc tribuat Benedictionem.*

Benedictio Confratrum Marianorum, ex Capella vel ab Altari recedentium.

SUb tuum præsidium, &c. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix, &c. *Oremus.* Prote Domine Famulos tuos, Rosarianos subsidiis pacis: &c. Defende quæsumus Domine, Beatâ Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate Familiam Rosarianam, & toto corde tibi prostratâ ab hostius tuere insidijs. Per Dominum, &c. Et Benedictio Dei † Patris: &c. *Aspergantur aquâ benedictâ, & dimittantur in Christi pace. Amen.*

Modus recipiendi in utramq; simul Archiconfraternitatem Abbbreviatus, dum adest, inscribendorum concursus.

In Nomine Patris, &c. Adjutorium nostrum in Nomine Domini, &c. Ora pro nobis S. Dei Genitrix, &c.
Dominus vobiscum, &c,

Oremus.

DEus qui sub mystico Sanctissimi Nominis Iesu Salvatoris nostri, ac ejusdem Deiparæ Virginis Mariæ Sacratissimæ Rosario singula vitæ & mortis, ac Resurrectionis, nec non Gloriæ tuæ mysteria repræsentas. Da quæsumus, ut quotquot hujusce Plantationis Cultores adsciscuntur, Cælestis Horti Rosarijs triumphalibus coronari mereantur. Per Dominum nostrum, &c,

Formula Obligationis Rosarianæ. Ia N. N. grzeszny przed Twoim Boskim Majestatem upadam pokornie Naymiłosiernieyszy Panie IEZU CHRYSTE prosząc cię całym sercem, abyś mnie przyiął do twoiego Ogrodá Rożanego; A ia zá tę łaskę w Rożáńcu Swiętym Twoie Przenaświętsze Imię IEZUS chwalić y kocháć obiecuię áż ná wieki wiekow. *Promotor respondet*, Amen.

I do Ciebie tákże Naymiłośiernieysza Pánno MARYA Bogárodźico, ućiekam się całym sercem y z płáczem, y z skrucham żebrzę Twoiego Miłośierdźia wiecznego, prosząc, ábyś mnie przyięłá y policzyłá między Synow twoich Rożańcowych; á ia Twoie Miłośierdzie w Rożáńcu Swiętym chwalić y wielbić y kocháć obiecuię áż ná wieki wiekow. Amen Iezus.

Receptio ad beneficia Archiconfraternitatis ac totius Sacri Ordinis, Summaria.

DE Omnipotentis Dei Misericordia, de infinita Meritorum IESU CHRISTI Liberalitate, & de Speciali Gratia Deiparæ Virginis MARIÆ, juxta Intentionem Summorum Pontificum, ac Reverendissimorum Patrum Generalium indulta Privilegia Recipio Vos ad omnia Privilegia & Gratias, tam in vita', quàm in morte, & post mortem Archiconfraternitati Rosarianæ, Totiq; Nostro Ordini cōcessa, ac benedicente & indulgente Sanctissimo Patre Nostro Dominico, facio Vos participes omnium à Summis Pontificibus, & à Saco Ordine communicatorum Privilegiorum ac singularum Indulgentiarū. In Nomine Patris, † & Filij, † & Spiritus Sancti, † Amen.

Rosarium Agonizantium Perpetuum.

UBicunq; est Sacrum Rosarium introductum & fundatum, ibidem R. P. Promotor potest ordinare suos Rosarianos Confratres per Dies, Septimanas, & Menses, ut

orent

orent Roſarium, pro Agonizantibus, & ad hunc finem, eoſdem in Libro connotare, & prius ab eis hanc Obligationis ſponſionem debet recipere ſub hac verborum forma, ante Altare Deiparæ Virginis MARIÆ, quam genuflectentes debent recitare.

EGo indignus peccator N. N. coram Divina Majeſtate, & in præſentia Domini Noſtri IESU CHRISTI, & Virginis Sacratiſſimæ Deiparæ MARIÆ, ſpondeo me ſiſtere cum Oratione Roſariana ſeu Roſario quod perſolvam, & orabo pro agonizantibus fidelibus Menſe Die Hora uſq; ad horam, ut mutuum promereri poſſim ſimile ſubſidium in tempore meæ agoniæ, quam ex nunc recommendo Sanctiſſimæ Agoniæ Domini mei IESU CHRISTI in Cruce morienti, & univerſis doloribus, Cor Virginis Deiparæ Matris doloriferæ & concrucifixæ pertranſeuntibus. Et hanc orandi pro agonizantibus conſuetudinem retinebo uſq; ad mortem, DEO auxiliante, CHRISTO benedicente, & Deiparâ Virgine MARIA intercedente, ad gloriam DEI ſempiternam, Amen.

Polonicè.

JA niegodny grzeſznik, N. N. przed Boſkim Máieſtatem, y przed obecznośćią Páná IEZUSA CHRYSTUSA, y Przenaświętſzey Bogárodźicy Pánny MARYEY obiecuię śię ſtáwić z Modlitwą Rożáńcá Swiętego, ktory zá Konáiących práwowiernych odpráwowáć będę Mieśiącá Dniá Godźiny áż do godźiny ábym zobopolnie tegoż rátunku duchownego doznawał pod czás moiego ſkonánia, ktore y teraz oddáię Konáiącemu ná Krzyżu CHRYSTUSOWI Pánu y boleśćiom krwáwym Przenaświętſzey Pánny MARYEY. A tę obligácyą moię dobrowolną pełnić będę áż do śmierći, zá łáſką Boſką, zá Błogoſłáwieńſtwem CHRYSTUSA Páná, zá rátunkiem Pánny Przenaświętſzey ktorey śię w Opiekę áż náwieki, oddáię. Amen.

INSTRU-

INSTRVCTIONES.

IMminente horâ pro agonizantibus persolvendâ, Confessio & Communio Sacra pertractentur ante illam; si autem propter impedimentum Confessio & Communio non possunt ante horam celebrari, tunc alterâ die immediatâ id totum fiat propter lucrandam Indulgentiam Plenariam ab Alexandro VII. concessam semel in anno, pro ipsismet recitantibus.

Hâc horâ recitetur Rosarium totum Beatissimæ Deiparæ Virginis MARIÆ devotè, per decades: postquamlibet decadem dicatur *Credo in Deum*: & post quodlibet *Credo*: subjungatur ista Oratiuncula.

ROgo Te dulcissime Domine IESU CHRISTE per amarissimam mortem tuam, maximè verò quando Sacratissima Anima tua egressa est de benedicto Corpore tuo, miserere animabus omnium fidelium hâc horâ & hodie agonizantium; miserere & animæ meæ agonizanti, quam ex nunc, & in futurum lachrymabiliter recommendo in manus Tuæ infinitæ Misericordiæ, Et in manus tuæ Concrucifixæ Matris B. V. M. Amen.

Finito Rosario quindecim decadum cum quindecim *Credo* repetitis, si aderit tempus, poterit simili modo recitari Rosarium Sanctissimi Nominis IESU, cum Litanijs de omnibus Sanctis. Et hæc devotio, etiam extra Missam, & Templum, quocunq; in loco, etiam simul cum alijs recitari potest.

Dum verò aliquis Confrater Agonizantium Rosario inscriptus moritur, alius in locum ejus inscribatur, per R. P. Promotorem, ab amicis demortui Confratris præmonitum. Ultra autem hanc annualem pro agonizantibus devotionem, etiam ad annualem Generalem Confessionem & Communionem Dominicâ proximâ post diem Animarum celebrandam pro animabus Confratrum agonizanti-

um,

rum, sunt obligati Confratres pro agonia orantes, extra tamen obligationem culpæ vel pænæ (si omisissent) contrahendæ.

Forma absolutionis, seu modus impartiendæ Indulgentiæ Confratribus Rosarij in articulo mortis, ex *Brevi: Nuper* Innocentij XI. excerptus.

INfirmus, vel pro eo Assistentes dicant *Confiteor*: Pater Spiritualis: *Misereatur*, *&c.* *Indulgentiam*, *&c.* Dominus Noster IESUS Christus Filius DEI Vivi, qui Beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam pijssimam Misericordiam recipiat Confessionem tuam, & remittat tibi omnia peccata quæcunq; & quomodocunq; in toto vitæ decursu commisisti, de quibus corde contritus & ore confessus es; restituens tibi stolam primam quam in baptismate recepisti, & per Indulgentiam Plenariam à Summo Pontifice Innocentio VIII. Confratribus Sanctissimi Rosarij in articulo mortis constitutis cōcessam, liberet te à præsentis ac futuræ vitæ pænis, dignetur Purgatorij cruciatus remittere, portas inferi claudere, Paradisi januam aperire, teq; ad gaudia sempiterna perducere, per Sacratissima suæ Vitæ, Passionis, & Glorificationis mysteria, Sanctissimo Rosario comprehensa. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto DEus unus vivit, & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Electiones Officialium Rosarianorum.

HUjusmodi Electiones optimè descriptæ sunt in Horto Rosariano Polonico Parte Sextâ fol: 17. Et omnium Gubernatorum Rosarianorum ibidem expressa sufficienter Officia. Modus Cracoviensium Electionum iste sit laudabilis; Conveniunt invitati Rosariani Confratres pro

Feria 2. vel 3. Pentecostes, & in Angyportu Majori, in ara S. Erasmi, collocatur Imago Portatilis Rosariana, accensis plurimis luminaribus, Mensæ per longum stratæ tapetibus ponuntur, & in medio Mensarum Crux Christi Domini cum cæteris Insignijs Rosarianis exponuntur. Horâ post Concionem adventante, adest ipsemet Prior Conventualis, vel Deputatus ab eodem Præsidens Electionis, unus ex Patribus S. Theologiæ Magister, qui sit superpelliceo & Stolâ Sacrâ indutus ob Majestatem majorem Virginis Sacratissimæ. Qui præmisso sermone in honorem ejusdem Virginis Sanctissimæ, Rosarianis præteritis Gubernatoribus gratias agit pro impensâ pietate, & exemplari erga Virginem Sanctissimam devotione Rosariana. Tandem intimat Electionem novam exhortando Confratres, ut Viros graves tali Officio dignos, & in promovendo honore Deiparæ V. M. zelosos eligant. Igitur invocatur Spiritus Sanctus omnibus decantantibus, vel Choro Musicali: *Veni Creator Spiritus* cum Antiphona: *Veni Sancte Spiritus, reple &c. Sub tuum præsidium, &c,*

℣. Emitte Spiritum tuum & creabuntur.
℟. Et renovabis faciem terræ.
℣. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEus, qui Apostolis tuis Sanctum dedisti Spiritum: concede plebi tuæ Rasarianæ, piæ petitionis effectum, ut qvibus dedisti in Sacris Rosarianis mysterijs profiteri fidē, iisdem pro Electione Rosarianorum Officialium largiaris & pacem.

PRotege Domine populum tuum Rosarianum, & Beatæ MARIÆ Virginis patrocino confidentem perpetuâ defen-

defensione conserva. Per Dominum nostrum IESUM Christum Filium tuum, &c.

Postea ad mensam cum Præsidente considentibus, chartæ distribuuntur Electoribus, ad scribendum eligendorum nomina Officialium, in urnam vel calicem sacrum mittenda & post ad numerandum extrahendæ per Præsidentem, & Primis Assesoribus porrigendæ, pro connotanda Votorum pluralitate, quâ pluralitate præcellentes, in legitimè Electos Officiales pronuntiantur. His electis & pronuntiatis per R. P. Præsidentem, inchoatur Canticum, Te Deum laudamus; *Vaduntq; omnes processionaliter cum candelis accensis ad Capellam Rosarianam, subsequente R. P. Præsidente Cappâ sericeâ induto. Finito Cantico Electus Prior Rosarianus & Supprior, cæteriq; Officiales flectunt genua ad gradum Altaris Virginei, juxta Ordinem dignitatum: jam autem R. P. Præsidens in supremo gradu genua flexus sic orabit, Choro respondente.*

℣. Salvos fac servos tuos Rosarianos.
℟. DEus meus sperantes in Te.
℣. Mitte eis auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Memor esto Congregationis tuæ Rosarianæ.
℟. Quam possedisti ab initio.
℣. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus CHRISTI.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

TUa quæsumus Domine, hos Officiales Rosarianos Gratia semper & præveniat, & sequatur: ac intercedente Deiparâ Virgine MARIA, bonis operibus Rosarianis jugiter præstet esse intentos.

LArgire quæsumus Domine istis Electis Officialibus spiritum cogitandi, quæ recta sunt, & ad honorem Deiparæ Vir-

ræ Virginis MARIÆ, quæ præſcripta ſunt propitius agendi, ut qui ſine te eſſe non poſſumus, ſecundùm te vivere, valeamus. Per Dominum noſtrum IESUM Chriſtum Filium tuum, &c.

Surgens R. P. Præſidens & ſtans in cornu Epiſtolæ verſâ facie ad Officiales, populumq́; Roſarianum, gratulabitur ijſdem Supremas Dignitates in ſuprema Aula Roſariana Reginæ Angelorum eſſe collatas. Et quoniam ita placuit Divinæ Majeſtati, ut tales Domini, Illuſtriſſimi, Magnifici, Nobileſq; eligerentur ad Roſarianam Aulam gubernandam; ideoq; ut ratum ac firmum ſit Veſtri Roſariani Miniſterij obſequium, talem Dominationibus ac Claritatibus Veſtris, tribuo Confirmationem.

Confirmatio Electorum Officialium.

AUthoritate DEI Omnipotentis & Domini Noſtri IESU Chriſti, ac ſpeciali ex Benevolentia Deiparæ V. M. Roſarianæ Dominæ Noſtræ, ex favore Summorum Pontificū, ex Benedictione Sanctiſſimi Patris Noſtri Dominici Principaliſſimi Fundatoris Roſariani, ex indulto Reverendiſſimorum Patrum Generalium, Totius Sacri Ordinis Noſtri Principaliorum Roſarianæ Archiconfraternitatis Promotorum, ac Gubernatorum. Ego N. N. Præſidens Authoritate mihi Commiſsâ, Vos Illuſtriſſimos, Magnificos, Generoſos, Nobiles, Spectabileſq; Dominos. Te Illuſtriſſimū Dominum, N. N. Priorem, Te Magnificum D. Supriorem, cæteroſq; præſentes Electos Officiales confirmo, & approbo cum omni Officiorum Veſtrorum Authoritate ac Iuriſdictione. In Nomine Patris, † & Filij, † & Spiritûs Sancti, † Amen.

Aſpergantur aquâ benedictâ: ſi placuerit Electo & Confirmato Priori Roſariano aliqua verba Piæ obligationis & devotæ diligentiæ ex ſuo ſuorumq; Officialium nomine dicere, dicat: hiſce finitis proſequetur R. P. Præſidens ſermonem: his, vel ſimilibus verbis.

Quia ergo Dominationes Veſtræ, obtulerunt animas

ſuas

suas in holocaustum Rosarianum, ut Rosarianæ Sanctissimæ Deiparæ Virgini MARIÆ serviant sobriè, & piè, & justè; *Sobriè*, plùs semetipsos obsequio non mundano, sed Virgineo implicando; *Piè*, exercitia Spiritualia pro consequendis Indulgentijs, & remissionibus peccatorum obtinendis cum omni devotione exēplariter exequendo; *Iustè*, Universas Constitutiones Rosarianas pro ipsius conservatione & augmentatione ordinatas sedulò adimplendo; ideoq; Vobis omnibus vt potè Rosarianis Electis, & Confirmatis Officialibus; specialia Rosariana Insignia trado ad possidendum, custodiendum, & exequendum. Igitur meis ex manibus.

Accipite hunc Rosarianum Crucifixum benedictum, ut memineritis Vos debere conformari CHRISTO Crucifixo. ℟. Amen. *Receptam Crucem osculabuntur, & idem de alijs Stemmatibus.* Officialibus Stemata Rosariana cō signantur.

Accipite hanc Deiparæ V. M. Imaginem benedictam, ut Rosarianas ejus Virtutes totis sequamini viribus. Amen.

Accipite has Candelas benedictas, ut præeatis exemplo Sanctitatis, & nullæ Vobis noceant tenebræ in agone mortalitatis. Amen.

Accipite hos globulos Rosarianos benedictos, ut laudes, & Salutationes Virgineas in ijsdem enumerando, in præmium IESUM CHRISTUM possideatis. Amen.

Accipite hanc benedictam Vestem Pænitentiæ Rosarianæ, ut placatum DEUM per Virginis DEI Matris intercessionem inveniatis. Amen.

Accipite has Disciplinas Rosarianas, ut de injunctis pænitentijs Indulgentias Vobis concessas obtineatis. Amen.

Accipite hunc Librum Rosarianum, ut juxta Ordinationes in eodem conscriptas totam Archiconfraternitatem gubernare valeatis. Amen.

Accipite has Claves Rosarianas, ut omnia bona temporalia ad honorem DEI, & Virginis Sacratissimæ, cum no-

ſtro ſcitu ordinetis. Et omnia ac ſingula munia Roſariana ad Vos pertinentia, condignè, ſtrenuè, ac meritoriè, propter obtinendas Roſarianas Indulgentias, omni cum devotione faciatis. In Nomine Patris, † & Filij, † & Spiritûs Sancti, † Amen.

Aſpergantur aquâ benedictâ: cantetur Salve Regina: *& vadant in pace, ad poſtmeridianum Roſarium redituri. Amen.*

LICENTIA SVPERIORVM ORDINIS.

FR. NICOLAUS OBORSKI, Sac: Theol: Magiſter, per Vtramq; Poloniam, ac Sileſiam Prior Provincialis Ordinis Prædicatorum.

AUthoritate Officii Noſtri concedim⁹ Licentiam A.R.P. DOMINICO FRYDRYCHOWICZ Sac: Th: Magiſtro. ut Roſarianarum Introductionum, Inſcriptionū, ac Electionum Opuſculum, ſeu Modum jam devotè ab eodem in hiſce ſolennitatibus, & actibus Roſarianis practicatum, & à noſtris Patribus ac Fratribus pro communi ac debito & uniformi modo introducendi Archiconfraternitates Roſarianas in Eccleſias Sæcularium, plurimùm expetitum, poſſit publicis typis evulgare, dum modo prius (præſenti ex noſtra Commiſſione) ab Adm. R. P. F. THOMA ENGVER, S.Th: Præſentato, Priore Conventûs Crac: ac noſtro per Contratam Minoris Poloniæ Vicario, necnon ab Adm R. P. F. RAPHAELE KUIAWSKI Actuali Sac: Th: Profeſſore Primario ac Regente Generalis Studij Provinciæ Poloniæ Conventûs Crac: reviſum & approbatum, ac juxta Sacri Concilij Tridentini leges ac regulas examinatum fuerit; Datamq; ac Conceſſam eſſe declaramus. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, Amen. Quibuſcunque in contrarium, &c.

tum, &c. In quorum fidem, &c. Datum in Conventu Nostro Sandomiriensi Divi IACOBI Apostoli, Die 28. Septembr: Anno Dñi, 1703. Conservus in Domino.

Fr. NICOLAVS OBORSKI, *M. Prov: mpp.*

Reg: Pag: 45.

Fr. ALANVS BARDZINSKI, *S.Th.Præs. Prior Elbing: & Socius. mpp.*

Locus † Sigilli.

CENSVRA THEOLOGORVM.

L*Ibellum cui titulus: Modus Archi Confraternitatis Rosarianæ introducendæ: ab Adm Rñdo Patre Magistro Fr:* Dominico Frydrychowicz *compositum, ex speciali Commissione Adm Rñdi Patris Magistri Provincialis Nostri, Fr:* Nicolai Oborski, *attentè perlegi, quantumq; interioris suavitatis, ex Optima Sanctissimi Rosarij fundandi dispositione ipse percepi, tantum & alios suavissimo hoc Rosæ Mysticæ odore, recreari peroptarem: in quem finem libellum hunc luci publicæ dandum, typoq; evulgandum, dignum censeo. Cracoviæ in Conventu SSmæ Trinitatis. Die 10. Ianuarij, 1704. Anno.*

Fr. Thomas Engver, Sac: Th: Præsent:
Prior Cracov: Ord: Præd. *mpp.*

O*Pusculum Rosarianarum Introductionum, seu Fundationum, Inscriptionum, ac Electionum, ab Adm Rñdo Patre Magistro Fr.* Dominico Frydrychowicz, *ex Bullis Summorum Pontificum, necnon ex Pontificali Romano, ac Rituali Prædicatorio nostro ordinatum & in actibus seu prædictis solennitatibus à prænominato Patre Magistro, cum multa fidelium ædificatione, ac fratrum nostrorum devotione practicatum; integrumq; indulgentiarum perpetuarum Sanctissimo Rosario concessarum Summarium, à SSmo Domino Dño Nostro* INNOCENTIO *XI. concessum & approbatum; ex Commissione Adm Rñdi Patris Magistri,*

stri, Patris Nicolai Oborski, *Nostræ Provinciæ Prioris Provincialis perlegi, & omnia sanctæ fidei consona, devotioni Rosarianæ congruentissima, Promotoribus nostris utilissima inveni & judicavi: proindeq; Sacri Concilij Tridentini legibus inhærendo præfatum Opusculum typis publicis divulgandum decrevi. Dedi & subscripsi in Conventu Cracoviensi SSmæ Trinitatis Ord: Prædic: Anno Dñi, 1704 Die 12. Ianuarij.*

Fr. Raphaël Kujawski, Sac: Th: Præsent: Gener: Stud: Crac: Regens. *mpp.*

L*Ibrum sub titulo:* Modus Archi-Confraternitatis Rosarianæ introducendæ, *collectum ex Bullis Summorum Pontificum operâ Adm Rňdi Patris* DOMINICI FRYDRYCHOWICZ, *Sac: Theologiæ Doctoris legi, & uti perutilem augendis fundationibus Sacratissimi Rosarij ut imprimatur approbavi. Datum in Collegio Majori Academiæ Cracoviensis, Die 15. Ianuarij, Anno Dñi, 1704.*

M. PETRUS PRACZLEWIC, Sac: Th: Doct: & Professor, Decanus Ecclesiæ S. Floriani, Librorum in Diecæsi Cracoviensi Censor. *mpp.*

Benedictus DEUS.

SAN-

SANCTISSIMI D.N.D. JNNOCENTII
DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XI.
Confirmatio Indulgentiarum
SANCTISSIMI ROSARIJ.

JNNOCENTIUS PAPA XI.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

NUper pro parte dilecti Filij Antonij de Moroy Magistri Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum nobis expositum fuit, quod de hujus Sanctæ Sedis mandato Confectum, & à Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium Indulgentijs, & Sacris Reliquijs proposita revisum, & approbatum fuit Summarium Indulgentiarum, & aliarum gratiarum Spiritualium Confraternitatibus sub Titulo Sanctissimi Rosarij erectis, & Institutis auctoritate Apostolicâ concessarum, tenoris qui sequitur, videlicet.

SUMMARIUM.

Indulgentiarum & Gratiarum Confratribus & Cõsororibus Sanctissimi Rosarij tàm in vita, quàm in morte concessarum.

CAPUT I.

De confirmatione & extensione Indulgentiarum SANCTISSIMI ROSARII.

PRimò. Sciendum à multis Summis Pontificibus respectivè fuisse confirmatas Indulgentias & gratias ab eorum Antecessoribus benignè elargitas Confratribus, & Consororibus

Sanctissimi Rosarij. Nimirum à Leone X. in Bulla, quæ incipit: *Pastoris æterni*, die 6. Octob: 1520 A Clemente VII. in Brevi: *Etsi temporalium*, die 8. Maij, 1534. A Iulio III. in Brevi: *Sinceræ devotionis*, 24. Augusti, 1551. A Pio V. in Brevi: *Inter desiderabilia*, die 28. Iunij, 1569. Ac in Brevi: *Consueverunt*, 17. Septembr: 1569. Deinde cum omni amplitudine confirmatas, & innovatas à Sixto V. in Brevi quod incipit: *Dum ineffabilia*, 30. Januarij, 1586. Denique etiam Paulus V. in Brevi: *Cum olim*, die 20. Septembr: 1608. revocato Brevi suo revocatorio Indulgentiarum antiquarum Sanctissimi Rosarij executionem constitutionis Clementis VIII. incipientis: *Quæcunq;*, & illud ad terminos juris reduxit, & pristino statui restituit easdem indulgentias à Summis Pontificibus suis Prædecessoribus concessas Confraternitatibus Sanctissimi Rosarij canonicè institutis, ubique locorum existentibus.

Secundò. Omnes indulgentias specialiter, vel generaliter, aut quocunq; modo uni, vel pluribus Confraternitatibus Sanctissimi Rosarij, vel etiam Confratribus, & Consororibus alicujus Confraternitatis in aliqua particulari Ecclesia erectæ impertitas, communes esse omnibus Confraternitatibus Sanctissimi Rosarij, omnibusq; Confratribus omnium dictarum Confraternitatum universi Orbis. Hoc indulsit Gregorius XIII. in Brevi incipiente: *Pastoris æterni*, 5. Maij, 1581. pro Confraternitatibus Canonicè erectis. Et Sixtus V. in præfato Brevi: *Dum ineffabilia*, omnia privilegia, indulta, facultates, concessiones, exemptiones, immunitates, concessiones, indulgentias, etiam plenarias à Summis Pontificibus concessa, & concessas Confraternitatibus, aut Confratribus Sanctissimi Rosarij extendit, & ampliat in perpetuum ad Confraternitates erigendas, illarumq; Confratres, & Consorores pro tempore existentes.

Tertiò. Denique quascunq; Indulgentias in hoc Summario cõtentas, quæ concessæ sunt alicui particulari Confraternitati Sanctissi-

Sanctissimi Rosarij, vigore præfatarum litterarum Apostolicarum, communes esse cuilibet Confraternitati, & cuilibet respectivè Confratri, aut Consorori, in aliqua Contrarernitate descriptis.

CAPUT II.

Indulgentiæ pro ijs, qui ad Confraternitatem Sanctissimi Rosarij recipiuntur.

PRimò. Pius V. in Præfato Brevi: *Consueverunt*, concedit Plenariam Indulgentiam omnibus, & singulis Christi fidelibus per deputatos à Magistro Generali, vel Vicario Generali pro tempore descriptis, verè pænitentibus, & confessis, qui prima vice descripti fuerint, & Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in aliqua Ecclesia, seu Capella dictæ Confraternitatis perceperint, & unam saltem quinquagenam Rosarij recitaverint, & pro tranquillitate Sanctæ Matris Ecclesiæ oraverint, eandem elargitur ipsis qui in mortis articulo constituti salutaris pænitentiæ, & Viatici Sacramentis fuerint muniti.

Secundò, Clemens VIII. in Brevi: *Salvatoris*, die 13. Ianuarij, 1592. Omnibus Christi fidelibus verè confitentibus & pænitentib9, atq; Sacratissimo Eucharistiæ Sacramento refectis, qui Rosarij Confraternitatem ingredientur erectam in Ecclesia Prædicatorum Oppidi Divionensis, die primo eorum ingressus, plenariam indulgentiam elargitur.

Tertiò. Eandem pariter indulgentiam concedit idem Pontifex in Bulla, quæ incipit: *De salute gregis*, die 18. Januarij, 1592. pro descriptis in Confraternitate erecta in Ecclesia Prædicatorum Utini.

CAPUT III.

Indulgentiæ pro recitantibus Rosarium diebus ordinarijs.

PRimò. Confratres lucrantur quadraginta dies indulgentiarum quoties recitaverint, aut recitari fecerint tertiam partem Rosarij, uti concessit Alexander Episcopus Forolivi-

ensis per universam Germaniam Legatus à Latere, Confratribus Confraternitatis institutæ in Ecclesia Prædicatorum Coloniæ, ut apparet in litteris incipientibus: *Et si gloriosos*, die 10. Martij, 1476. quam concessionem confirmavit Leo X. in præfata Bulla: *Pastoris æterni.*

Secundò. Cuicunq; fideli tertiam partem Rosarij recitanti elargitur Sixtus IV. in Bulla incipiente: *Ea quæ ex fidelium*, 12. Martij, 1479. quinque annos, & quinque quadragenas. Eandem etiam confirmat Leo X. in præfata Bulla: *Pastoris æterni.*

Tertiò. Ex concessione Innocentij VIII. in Bulla quæ incipit: *Splendor Paternæ gloriæ*, Romæ 27. Februarii, 1488. Cõfratribus & Cõsororibus in aliqua Confraternitate in Ordine Prædicatorũ erecta conscriptis, verèque pænitentibus, & confessis, qui tertiam Rosarij partem recitaverint, toties quoties id egerint, sexaginta millia annorum, & totidem quadragenæ indulgentiarum de injunctis sibi pænitentijs relaxantur; In eadem Bulla ijsdem Confratribus, & Consororibus nunc, & pro tempore existentibus verè pænitentibus ac ob Beatissimæ Virginis MARIÆ reverentiam Rosarium deferentibus præfatus Innocentius centum annos, & totidem quadragenas indulgentiarum, de injunctis sibi pænitentijs

Pro- misericorditer indulget. Insuper ijsdem Confratribus, SI
moto- NOMEN JESU IN FINE CUIUSLIBET ANGELICÆ SALUTATIONIS
res, NOMINAVERINT, QUINQUE ANNOS & TOTIDEM QUADRAGENAS
pro- move- SIMILITER CONCEDIT.

ant se Quartò. Franciscus de Claro monte tituli Sancti Ste-
dulò. phani in Cælio Monte, S. R. E. Præsbyter Cardinalis, Rosa-
hoc Amen rij Societatem in Biterrensi Civitate institutam Auctoritate
Iesvs. Apostolicâ sibi concessâ, approbavit, confirmavit, & ratificavit ejusque Confratribus & Consororibus quotiescunque per se, vel per alium Beatæ MARIÆ Virginis Rosarium, quod quinquaginta, Ave MARIA continet, & quinque, *Pater noster*, continuè legerint, vel legi fecerint, centum

dies

dies indulgentiarum largitus est, & Fratre Antonio Curone in Sancta Theologia præsentato Rosarium idem prædicante omnibus Christi fidelibus sermonem ejus audientibus, centum dies pro qualibet vice de injunctis pænitentijs relaxavit.

Quintò. Raymundus tit: Sanctæ Mariæ novæ Cardinalis per Germaniam Sanctæ Sedis Legatus concedit Confratrib9, & Consororibus Rosarij Confraternitatis Coloniensis quoties Rosarium recitaverint, centum dies indulgentiarum. Quod confirmavit Leo X. in præfa Bulla: *Pastoris æterni*,

Sextò. Confratribus & Consororibus dictæ Confraternitatis Coloniæ institutæ verè pænitentibus, & confessis, seu confitendi propositum habentibus, qui ter in hebdomada Rosarium devotè recitaverint, pro qualibet vice decem annos & totidem quadragenas de injunctis pænitentijs relaxat Leo X. in præfata Bulla: *Pastoris æterni.*

Septimò. Adrianus VI. in Bulla quæ incipit: *Illius qui Dominicum gregem*, die 1. Aprilis, Anni 1523. Omnibus Confratribus Oppidi de Victoria Diecæsis Calaguritanæ, qui in Capella Sanctissi Rosarij, aut in quacunque parte ipsius Ecclesiæ, ex qua Altare dictæ Capellæ conspici possint, recitaverint singulis diebus tertiam partem Rosarij pro qualibet die, quâ id fecerint, ut præfertur, quinquaginta annos de injunctis pænitentijs pariter relaxat. Clemens autem VII. in Bulla quæ incipit, *Considerantes*, die 6. Aprilis, 1524. & in alia quæ incipit: *Ineffabilia*, die 28. Martij, Anno 1529. concedit eandem Indulgentiam Confratribus dictæ Confraternitatis, qui extra Civitatem prædictam existentes in aliqua Ecclesia, seu Oratorio cujusvis loci, tertiam Rosarij partem devotè recitaverint.

Octavò. Clemens VII. in Brevi: *Et si temporalium*, 8. Maij, 1534. addidit duos annos Indulgentiæ Confratribus institutarum Confraternitatū pro qnolibet ex tribus diebus hebdomadæ, in quo tertiam partem Rosarij recirabunt, dummodò in septimana integrum Rosarium recitent. Cum enim

 ad lucran-

ad lucrandam Indulgentiam à Sixto IV. concessam, necessarium esset uno die totum Rosariũ recitare. voluit Clemens præfatus sufficere ad prædictum effectum recitare integrum Rosarium in una septimana, assignans pro diebus diem, & pro pluribus vicibus unam vicem. Et cum prædicta Bulla publicata non fuerit vivente Clemente, publicata fuit per Paulum III. in Brevi, quod incipit: *Rationi congruit*, die 3. Novemb: 1534.

Nonò. Pius V. Confratribus Confraternitatum Sãctissimi Rosarij erectarum per Fratrem Ambrosium Salvio de Balneolo Ordinis Prædicatorum quoties devotè recitaverint Rosarium reliquis anni diebus (exceptis diebus Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis, & Purificationis Beatissimæ MARIÆ Virginis, in quibus Major acquiritur Indulgentia,) concessit quadraginta dies Indulgentiarum, prout constat ex Brevi, quod incipit: *Injunctum nobis*, die 14. Junij, 1566.

Decimò. Ex ejusdem Pontificis concessione in Brevi: *Consueverunt*, 17. Septembris, 1569. Confratres Confraternitatum erectarum, & per deputatos à Magistro Generali vel Vicario Generali pro tempore descripti, si devotè recitaverint Rosarium integrum quâlibet septimanâ lucrantur indulgentiam septem annorũ, & totidem quadragenatum de pœnitentijs injunctis.

Undecimò. Clemens IX. denique in Brevi: *Exponi nobis*. die 22. Februar: 1668. elargitur Confratribus Confraternitatũ erectarum, & erigendarum in futurum in Indijs Regi Hispaniarum subjectis integrum Rosarium recitantibus omnes, & singulas indulgentias, quibus ex Apostolica concessione fruuntur omnes Christi fideles in Regnis Hispaniæ, recitantes Coronam Beatissimæ Virginis.

CAPUT IV.

Indulgentiæ quas Confratres in particularibus anni diebus recitantes Rosarium lucrantur.

PRimò. Alexander Forolivienſis Episcopus in Germania Legatus,

Legatus, centũ dies Indugẽltiæ concedit omnibus, & singulis Confratribus Confraternitatis Coloniensis dicentibus tertiam Rosarij partem in quinque festivitatibus Beatissimæ Virginis, videlicet Annunciationis, Visitationis, Assumptionis, Nativitatis, & Purificationis, uti constat ex præfata Bulla Leonis X. *Pastoris æterni.*

Secundò. Innocentius VIII. anno 1484. 15. Octobris vivæ vocis oraculo concessit omnibus Confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarij recitantibus Rosarium per hebdomadam Indulgentiam plenariam, & omnium peccatorum remissionem, applicandã à Confessario secundùm eorum arbitrium eligendo semel in vita, & semel in mortis articulo, quam Indulgentiam Leo X. in præfata Bulla : *Pastoris æterni*, confirmat.

Tertiò. Sixtus IV. in Bulla incipiente : *Pastoris æterni*, die 29. Maij, 1478. elargitur septem annos, & totidem quadragenas Confratribus Confraternitatis Coloniensis verè pænitentibus, & confessis, dictam Cõfraternitatem servantibus, qui integrum Rosarium recitaverint, in diebus festis Nativitatis, Annunciationis, & Assumptionis Beatissimæ Virginis, sicut refert, & confirmat Leo X. in præfata Bulla : *Pastoris æterni.*

Quartò. Pius V. in præfato Brevi : *Injunctum nobis*, Concedit omnibus Confratribus Confraternitatum Rosarij institutarum, & instituendarum à Fratre Ambrosio Salvio de Balneolo, qui corde contriti, confessi, devoteq; communicati in die, & festivitate Annunciationis devote Rosarium recitaverint, Indulgentiam plenariam. diebus verò Assumptionis, Nativitatis, & Purificationis, decem annos & totidem quadragenas.

Quintò. Idem Pontifex in dicto Brevi præfatis Confratribus, quoties NOMEN DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI, & EJUSDEM BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ MATRIS SUÆ, TAM INTUS, QUAM EXTRA DICTUM ROSARIUM piè, & devotè nominaverint,

naverint, seu invocaverint, septem dies de injunctis pænitentijs relaxat.

Sextò, Præterea Pius V. in Brevi quod incipit: *Consueverunt.* Concedit omnibus Confratribus Confraternitatum erectarum à deputatis per Magistrum Generalem, vel Vicarium Generalem pro tempore descriptis, qui in diebus Resurrectionis Domini, Annunciationis, & Assumptionis Beatissimæ Virginis communicati, ut supra *cap: 2. num: 2.* dictum est, tertiam partem Rosarij recitaverint, decem annos & totidem quadragenas.

Septimò. Præterea ijsdem Confratribus, tertiam partem Rosarij ad minus recitantibus in reliquis diebus festis D. N. IESU Christi, & Beatæ MARIÆ Virginis; in quibus Sacra Rosarij mysteria recensentur septem annos, & totidem quadragenas de injunctis pænitentijs, relaxat.

CAPUT V.

Indulgentiæ quas lucrantur Confratres Sanctissimi Rosarij processionem associantes, fieri solitam primâ Dominicâ cujuslibet mensis, & diebus festis Beatissimæ Virginis.

PRimò. Pius V. in præfato Brevi: *Consueverunt*, omnibus, & singulis utriusque sexûs Christi fidelibus, etiam non Confratribus, qui processioni Sãctissimi Rosarij, quæ qualibet primâ Dominicâ Mensis fieri consuevit devotè interfuerint, septem annos, & septem quadragenas de injunctis pænitentijs relaxat.

Secundò. Confratres Sanctissimi Rosarij processionem debitis diebus faciendam associantes centum dies Indulgentiæ consequuntur ex concessione Gregorij XIII. Confratribus Rosarij Civitatis Papien: facta in Brevi, quod incipit: *Cum sicut*, die 3. Januarij, 1579. Præterea idem Gregorius in Brevi: *Pastoris æterni*, die 5. Maij, 1581. Concessit Indulgentiam plenariam omnibus Confratribus verè pænitentibus, & confessis, ac communicantibus, qui processioni primâ Dominicâ

minicâ cujuſlibet Menſis interfuerint, Inſuper Confratres qui propter infirmitatem, aut aliud legitimum impedimentum proceſſionibus prædictis adeſſe nequiverint: ſi confeſſi, & Sanctiſſimâ Communione refecti Roſarium devotè recitaverint, aliaſque preces pro Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, hæreſum extirpatione, ac pace inter Principes Chriſtianos concilianda & conſervanda fuderint, eaſdem indulgentias cōſequntur, quas conſequerētur ſi ipſis proceſſionibus perſonaliter intereſſent ex conceſſione ejuſdem Gregorij in Brevi: *Cupientes*, die 24. Decembris, 1533.

Tertiò. Eandem Plenariam Indulgentiam aſſequuntur Confratres & Conſorores Confraternitatum Roſarij verè pænitentes & confeſſi, ac Sanctâ Communione refecti, qui processioni primâ Dominicâ menſis peragendæ interfuerint, & pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, & Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effundunt ex conceſſione Pauli V. in Brevi quod incipit: *Piorum hominum*, die 15. Aprilis, 1608.

Quartò. Pius IV. Eandem etiam Indulgentiam plenariam conceſſit Confraternitati Sanctiſſimi Roſarij inſtitutæ in Eccleſia Sanctæ Mariæ ſuper Minervam in Urbe, in Bulla inciptente: *Dum præclara*, die 28. Februarij, 1561. omnibus Confratribus & Conſororibus Sanctiſſimi Roſarij verè pænitentibus & confeſſis, vel firmum propoſitum temporibus ſtatutis confitendi habentibus, qui proceſſionem aſſociaverint in dicta Eccleſia fieri ſolitam in feſtivitatibus & ſolennitatibus Glorioſæ Virginis MARIÆ, videlicet Purificationis, Annunciationis, & Viſitationis, Aſſumptionis, Nativitatis, Præſentationis, & Conceptionis.

Quintò. Gregorius XIII. in Brevi: *Ad augendam*, 24. Octobris, 1577. elargitur indulgentiam plenariam Confratribus Confraternitatis Roſarij erectæ in Eccleſia Sancti Dominici Bononiæ, verè pænitentibus & confeſſis, ac Sacrâ Communione refectis, qui in ſingulis annis ſolenni proceſſioni

primâ Dominicâ cujuslibet mensis in dicta Ecclesia celebrandæ interfuerint, & Capellam Sanctissimi Rosarij devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, & unione ac hæresum extirpatione, Sanctæq; Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad DEUM preces effuderint.

CAPUT VI.

Indulgentiæ pro Confratribus visitantibus Capellam Sanctissimi Rosarij.

PRimò. Pius IV. in præfa Bulla: *Dum præclara*, concedit Indulgentiam plenariam, ijs qui verè pænitentes, & confessi, vel firmum propositum confidendi habentes statutis in Ecclesia temporibus devotè visitaverint capellam Sanctissimi Rosarij in Ecclesia Sanctæ MARIÆ super Minervam de Urbe in festis Beatissimæ Virginis videlicet Purificationis, Annunciationis, Visitationis, Assumptionis, Nativitatis, Conceptionis, & Præsentationis, à primis Vesperis, usq; ad occasum solis dictarum festivitatum.

Secundò. Gregorius XIII. in Brevi: *Ad agendam.* 12. Martij, 1577. Concessit plenariam Indulgentiam Confratribus Cõfraternitatis Sãctissimi Rosarij institutæ in Ecclesia Prædicatorum Cremonæ, qui verè pænitentes & confessi, necnon Sanctâ Communione refecti, visitaverint Capellam Rosarij primâ Dominicâ cujuslibet mensis, & omnibus festis Beatissimæ & Gloriosissimæ Virginis, ibiq; pias ad Deum preces effuderint pro Christianorum Principum concordia; extirpatione hæresum, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione.

Tertiò. Idem Pontifex in Brevi: *Ad agendam*, die 24. Octobris, 1577. Indulgentiam plenariam concessit cuilibet Confratri Confraternitatis Rosarij erectæ in Ecclesia S. Dominici Bononiæ, qui pænitens confessus, ac Sanctissimâ Communione refectus Capellam Rosarij Sancti Dominici de Bononia in singulis festivitatibus Beatissimæ Virginis devotè visitaverit, atq; ut supra oraverit.

Quartò.

Quartò. In alio Brevi incipiente: *Cum sicut*, 3. Ianuarij, 1579. Idem Gregorius elargitur Confratribus Confraternitatis erectæ in Ecclesia Prædicatorum Civitatis Papien: pro qualibet die quâ visitaverint Capellam seu Altare Sanctissimi Rosarij in præfata Ecclesia, centum dies Indulgentiæ, orando Deum ut supra. Insuper concedit Indulgentiam plenariam Confratribus ejusdem Confraternitatis Papiensis, qui devotè visitaverint dictum Altare, seu Capellam in præfata Ecclesia tertiâ Dominicâ Aprilis, & prima Octobris, à primis Vesperis usq; ad occasum solis, dummodò verè pœnitentes, & confessi, ac Sacrâ Communione refecti, ut præfertur oraverint..

Quintò. Idem Gregorius in Brevi: *Exponi nobis*, prima Octobris, 1577. concedit Indulgentiam plenariam omnibus & singulis utriusque sexûs Christi fidelibus, qui verè pœnitentes & confessi, primâ Dominicâ mensis Octobris, devotè visitaverint à primis Vesperis usq; ad occasum solis ejusdem Dominicæ, Ecclesiam Sanctæ Mariæ super Minervam de Urbe, & ibi pro Principum concordia, &c: pias ad Deum preces effuderint.

Sextò. Præterea idem Pontifex in Brevi, *Pastoris æterni*, die 5. Maij, 1585. Indulgentiam plenariam concedit omnibus Confratribus erectarum Confraternitatum Rosarij, qui verè pœnitentes & confessi, ac Sanctissimâ Communione refecti, devotè visitaverint Capellam Sanctissimi Rosarij, illis diebus, quibus aliqua mysteria Rosarij celebrantur, & processioni primæ Dominicæ cujuslibet mensis interfuerint.

Septimò. Clemens VIII. in Brevi: *Salvatoris & Domini nostri*, 13. Ianuarij, 1592. Elargitur plenariam Indulgentiam Confratribus Confraternitatis Rosarij erectæ in Ecclesia Prædicatorum Divioni, verè pœnitentibus & confessis, ac Sacrâ Communione refectis, qui devotè visitaverint Capellam, seu Altare Rosarij dictæ Ecclesiæ in qualibet primâ Dominicâ Mensis Octobris à primis Vesperis usq; ad occasum solis, ac

inibi pias ad Deum preces effuderint, pro Sedis Apostolicæ, & fidei Catholicæ exaltatione, & hæresum extirpatione, necnon pacis inter Principes Christianos conservatione, aut alias, prout unicuiq; suggeret devotio.

Octavo. Insuper in eodem Brevi concedit ejsdem Confratribus septem annos & totidem quadragenas Indulgentiæ, qui verè pænitentes confessi & devotè communicati ultra Festum Paschalis Resurrectionis in diebus festis Pentecostes, Assumptionis Beatissimæ Virginis, necnon Omnium Sanctorum, & Nativitatis D. N. IESU CHRISTI, Capellam, aut Altare Sanctissimi Rosarij visitaverint, & Deum ut præfertur oraverint.

Nonò. Idemmet Clemens VIII. in Bulla incipiente: *De salute gregis.* die 18. Ianuarij, 1592. Confratribus & Consororibus Sanctissimi Rosarij Confraternitatis erectæ in Civitate Utinensi, verè pænitentibus & confessis ac Communione Sacrâ refectis, qui in festivitate Assumptionis Betissimæ Virginis singulis annis devotè visitaverint Ecclesiam dictæ Cõfraternitatis, à primis Vesperis, usq; ad occasum solis, ibiq; aliquas preces effuderint, pro exaltatione Sanctæ Matris Ecclesiæ, extirpatione hæresum, reductione hæreticorum, & conversione infidelium, & pro conservatione pacis, concordiæ, & unionis inter Principes Christianos, quoties id egerint, Indulgentiam plenariam concedit. Præterea in eadem Bulla iisdem Confratribus, qui verè pænitentes, confessi, & Communicati, devotè visitaverint prædictam Ecclesiam in solemnitatibus Conceptionis, Nativitatis, Annunciationis, & Visitationis Gloriosæ Virginis MARIÆ, & oraverint, ut supra, septem annos, & septem quadragenas, Indulgentiæ elargitur.

CAPUT VII.

Indulgentiæ, quas Confratres & Consorores Sanctissimi Rosarij lucrantur, pia opera exercentes.

PRimò. Alexander Episcopus Forolivienfis Legatus Apostolicus

ſtolicus per Germaniam, conceſſit quadraginta dies Indulgentiæ de injunctis ſibi pœnitentijs, omnibus Confratribus, Confraternitatis Roſarij erectæ Coloniæ, qui Sabbatis, & feſtivis diebus interfuerint dum cantatur *Salve Regina* poſt Cõpletorium, coram Alari Beatiſſimæ Virginis, ubi prædicta Confraternitas inſtituta eſt, quam conceſſionem confirmavit Leo X. in præfata Bulla: *Paſtoris æterni.*

Secundò. Gregorius XIII. in præfato Brevi: *Cum ſicut accepimus.* 3. Ianuarij, 1579. Confratribus Confraternitatis Sanctiſſimi Roſarij, Papiæ relaxat centum dies de injunctis eis, ſeu quomodolibet debitis pœnitentijs, qui Vexillum Sanctiſſimi Roſarij aſſociaverint, quando corpora mortuorum Confratrum deferuntur ad ſepulturam, & interfuerint anniverſarijs pro animabus defunctorum Confratrum celebrandis, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, &c. vel aliàs oraverint, vel infirmos Confratres ad Eccleſiaſtica Sacramenta ſumenda hortati fuerint, & viſitaverint.

Tertiò. Clemens VIII. in Brevi: *Salvatoris*, die 13. Ianuarij, 1592. Confratribus Confraternitatis Sanctiſſimi Roſarij erectæ in Eccleſia Prædicatorum Oppidi Divionenſis, qui Divinis Officijs Confratres, ſeu ex eorum inſtituto in dicta Capella decantantes, ac Congregationibus publicis vel ſecretis pro felici directione Confraternitatis habendis interfuerint, atq; aſſociaverint Sanctiſſimum Sacramentum, dum ad aliquem infirmum deferri contigerit, ac qui legitimè impediti hoc facere nequiverint, campanæ ad id ſigno dato, genuflexi, ſi potuerint Orationem Dominicam pro eodem infirmo recitaverint. Necnon cujuſcunq; Confratris cadaver ad ſepulturam Eccleſiaſticam, vel eos in eorum infirmitatibus viſitaverint, & conſolati fuerint, ac Orationem Dominicam quinquies & toties Angelicam Salutationem coram Imagine Sanctiſſimi Crucifixi, in honorem quinque plagarũ D. N. IESU CHRISTI, pro animabus eorundem Confratrum, in CHRISTI charitate defunctorum recitaverint, quoties ali-

quod

quod præmissorum fecerint, sexaginta dies de injunctis eis, aut alias, quomodolibet debitis pænitentijs relaxat.

Quartò. Idem in Brevi: *Ineffabilia* DEI *Genitricis*, die 12. Februarij, 1598. Confratribus Cōfraternitatis Sanctissimi Rosarij erectæ in Ecclesia Sancti Pauli Vallisoleti Ordinis Prædicatorum centum dies, quoties verè pænitentes & confessi, seu à jure statutis temporibus firmum confitendi propositum habentes, Antiphonæ, *Salve Regina*, in præfata Ecclesia post Completorium decantandi solitæ interfuerint, in festivitatibus autem Beatissimæ Virginis, necnon Sanctorum Apostolorum, & Sanctorum dicti Ordinis, & quando ipsi Confratres juxta statuta dictæ Confraternitatis cum cereis accensis adesse tenentur, ejsdem Confratribus, ut præfertur interessentibus, tres annos & totidem quadragenas de injunctis eis, aut quomodolibet debitis pænitentijs relaxat. Illis autem Confratribus, qui pro solennitate à dicta Confraternitate celebrari solita Dominicâ infra Octavam Nativitatis Beatissimæ Virginis, ornandis Altaribus, vel Ecclesiæ præparandæ vacaverint, aut ornamenta ad Divinum cultum spectantia miserint, centum dies Indulgentiæ concedit, extendens supradictas indulgentias, ad infirmos, mulieres gradivas, & legitimè impeditos, qui flexis genibus prædictam Antiphonam, *Salve Regina*, coram Altari, vel Imagine Beatæ Virginis devotè recitaverint, qui autem Confratrem infirmum visitaverint, aut corpus defuncti Confratris ad dictam Ecclesiam associaverint, tres annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pænitentijs.

Quintò. Idem Pontifex in Bulla: *De salute gregis*, die 15. Februarij, anno, 1592. Confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarij erectæ in Ecclesia Prædicatorum Utini, quoties interfuerint, Divinis Officijs, aut Missis quæ celebrantur in dicta Ecclesia, vel intuitu, vel ex instituto, aut consvetudine dictæ Cōfraternitatis, aut hospitio pauperes peregrinos exce-

perint,

perint, aut elèemosynis, aut officijs adjuverint, aut pacē cum inimicis composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, ac etiam corpora defunctorum, tam Confratrū, quàm aliorum ad sepulturam associaverint, aut infirmos consolati fuerint, aut processiones ordinarias tàm Confraternitatis, quàm alias quascunq; de licentia Ordinarij celebrandas, Sanctissimum Sacramentum tàm in processionibus, quàm ad infirmos, vel quovis alio modo delatum comitati fuerint, seu impediti per aliam, vel alios associari fecerint, vel campanæ ad id signo dato genuflexi, semel Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam pro animabus Confratrum defunctorum recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, aut ignorantes præcepta DEI, & alia ad salutem necessaria docuerint, aut quodcunq; aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint, quoties præmissa, vel aliquod præmissorū egerint, sexaginta dies de injunctis eis, aut quomodòlibet debitis pænitentijs relaxar.

Sextò. Rursus Gregorius XIII. in Brevi: *Desiderantes*, 22. Martij, 1580. Confratribus Cōfraternitatum Sāctissimi Rosarij institutarum in Ecclesijs Fratrum Prædicatorum, Provinciæ S. Iacobi Nouæ Hispaniæ in Indijs, & omnibus Christi fidelibus, qui verè pænitentes, confessi, ac Sacrâ Communione refecti, devotè visitaverint dictas Ecclesias diebus festis Patroni earundem respectivè, & in Solennitate Corporis Christi, Indulgentiam plenariam concedit. Insuper omnibus Confratribus, qui Sabbativis in Quadragesima assistunt Missæ & Concioni Beatissimæ Virginis, ac dum cantatur Antiphona, *Salve Regina*, concedit unius anni Indulgentiam. Præterea, quando ex elèemosynis Confraternitatis Sanctissimi Rosarij Virgines Matrimonio junguntur, tam ipsis, quàm maritis, & Confratribus Sanctissimi Rosarij proccessioni interessentibus quinque annos Indulgentiæ elargitur. Deniq; Confratribus & Consororibus associantibus processionem, quæ fit singulis Sabbatis, aut semel in Mense per Ecclesias,

vel

vel Clauſtrum dictarum domorum in Suffragium mortuorum, octo annos Indulgentiæ de injunctis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentijs relaxat.

CAPUT VIII.

Indulgentiæ quas conſequuntur Confratres & Conſorores Sanctiſſimi Roſarij viſitantes quinque Altaria.

LEO X. inſtituit & conceſſit, ut quilibet Confrater, Confraternitatis Sanctiſſimi Roſarij, canonicè in quacunque Eccleſia Ordinis Prædicatorum erectæ, quinque Altaria luſtrando cuicunq; Eccleſiæ, aut unum, vel duo quinquies, ſi quinque defuerint, eaſdem Indulgentias integraliter conſequatur, ac ſi omnes Almæ Urbis Stationes peregrinando circuiret, quam conceſſionem confirmat & approbat Clemens VII. in Brevi: *Et ſi temporalium.* Quod Paulus III. in Brevi: *Rationi congruit,* 3. Novembr: 1534. publicavit.

CAPUT IX.

Indulgentiæ quas lucrantur Confratres & Conſorores peccata ſua confitendo, & communicando aliquibus Dominicis anni.

PRimò. Gregorius XIII. in Brevi quod incipit: *Ad augendam*, pro Confrarernitatibus inſtitutis in Eccleſijs Prædicatorum Provinciæ utriuſq; Lombardiæ, die 8. Novembr: 1578. & in alio ſimili pro Provintia Romana, anno 1579. die 29. Auguſti, concedit plenariam Indulgentiam omnibus Confratribus & Conſororibus Sanctiſſim Roſarij, qui verè pœnitentes & confeſſi, ac devotè in dictis Eccleſijs primis Dominicis diebus cujuſlbet menſis, Sacram Communionem ſumpſerint, ibiq; pro extirpatione hæreſum, pro pace inter Principes Chriſtianos, & S. Matris Eccleſiæ Exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quam Indulgentiam extendit ad Confratres infirmos, qui ad eaſdem Eccleſias, ſeu ad quamlibet earum accedere non valentes prævià confeſſione, & com-

munione

munione domi suæ ante devotam Imaginem devotè Rosarium, aut septem Psalmos, qui legere sciunt recitaverint.

Secundò. Clemens VIII. in Brevi: *Ineffabilia Gloriosæ Virginis*, 12. Februarij, 1598. Confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarij erectæ in Ecclesia S. Pauli Vallisoleti Ordinis Prædicatorum, qui Dominicâ infra Octavam Nativitatis Beatissimæ Virginis solenniter hujusmodi Festivitatem celebrare volunt, si verè pænitentes & confessi eadem die annis singulis Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum perceperint, & Altissimo preces pro universis Ecclesiæ, & Romani Pontificis statu fuderint, plenariam suorum peccatorum Indulgentiam elargitur.

Tertiò. Gregorius XIII. in Brevi quod incipit: *Desiderantes*, 22. Martij, 1580. Confratribus & Consororibus Confraternitatum jam erectarum in Ecclesijs Fratrum Prædicatorum Provinciæ S. Iacobi Novæ Hispaniæ in Indijs, qui primâ Dominicâ Octobris verè pænitentes & confessi alicui Confessario dicti Ordinis, Sanctam Eucharistiam sumpserint, in præfatis Ecclesijs, in quibus instituta est Confraternitas Sanctissimi Rosarij, plenariam Indulgentiam concedit.

CAPUT X.

Indulgentiæ quibus fruuntur Confratres & Consorores Sanctissimi Rosarij in mortis articulo.

PRimò supra diximus, quòd Confratres & Consorores Sanctissimi Rosarij respectivè, ex concessione Innocentij VIII. & Leonis X. qui per septimanam Rosarium recitaverint, cõsequantur, semel in vita, & semel in morte Indulgentiam plenariam: & Pius V. in Brevi: *Consueverunt*, Indulgentiam plenariam concedit Confratribus Confraternitatum erectarum in articulo mortis constitutis confessis, & per modum Viatici Sacrâ Communione refectis.

Secundò. Adrianus VI. in Bulla: *Illius qui Dominicum gregem*, die 1. Aprilis, anno 1523. plenariam Indulgentiam concedit

cedit Confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarij erectæ, in Ecclesia Prædicatorum Victoriæ verè pænitentibus & confessis, vel firmum propositum confitendi habentibus, qui in mortis articulo in manibus tenentes cereum benedictum Confraternitatis, in honorem Virginis MARIÆ, ex hac luce migraverint, si ante eorum obitum Rosarium semel duntaxat recitaverint. Quam Indulgentiam confirmavit Clemens VII. in præfata Bulla: *Ineffabilia.*

Tertiò. Clemens VIII. in Brevi: *Salvatoris*, 13. Ianuarii, institutæ Divioni: qui verè pænitentes & confessi, ac Sacrâ Communione refecti, pium Nomen IESU corde, si ore nequiverint, in mortis articulo invocaverint, plenariam Indulgentiam elargitur.

Quartò. Et in Brevi: *Ineffabilia Gloriosæ*, 12. Februarij, 1598. Confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarij erectæ in Ecclesia S. Pauli Vallisoleti, si in articulo mortis recipiendo Sanctissima Ecclesiæ Sacramenta, & Ecclesiæ Romanæ fidem profitendo, Antiphonam, *Salve Regina* dixerint, & Beatæ Virgini se commendaverint, Indulgentiam plenariam côncedit.

Quintò. Idem in Bulla quæ incipit: *De salute gregis*, 18. Januarij, 1592. Confratribus & Consororibus Sanctissimi Rosari Utini erectæ, verè pænitentibus & confessis, ac Sacrâ Cômunione refectis, qui in articulo mortis Sanctissimum Nomen IESU corde, si ore nequiverint, invocaverint, vel aliquod contritionis signum dederint, Indulgentiam plenariam concedit.

Sextò. Clemens X. in Brevi: *Cælestium munerum*, 16. Februarij, anni 1671. Sacerdotibus Sæcularibus, aut Regularibꝰ, quibus licitum fuerit juxta Costitutiones & decreta Sedis Apostolicæ celebrare Missam Sanctissimi Rosarij, eandem celebrando sicut & omnibus Religiosis, & Sanctimonialibus, etiam Tertij Ordinis Prædicatorum, & omnibus Confratribus & Consororibus cujuscunq; Confraternitatis Sanctissi Rosarij iam

rij iam erectæ, aut erigendæ in futurum, in quocunq; loco, qui verè pænitentes & confessi, vel firmum confitendi habentes propositum, prædictæ Missæ interfuerint, ibiq; pro pace inter Principes Christianos, hæresum extirpatione, & exaltatione Sanctæ Matris Ecclesiæ oraverint, quoties id egerint, impertitur omnes Indulgentias, peccatorum remissiones, & pænitentiarum relaxationes, quas Confratres & Consorores dictæ Confraternitatis integrum Rosarium recitando ex Sedis Apostolicæ concessione assequuntur,

Septimò. Idem Pontifex in eodem Brevi omnibus & singulis prædictis, qui soliti fuerint dictam Sanctissimi Rosarij Missam celebrare, uti dictum est, aut eidem assistere, si verè pænitentes cõfessi & communicati oraverint, sicut dictum est, concedit, ut omni mense easdem similiter consequantur Indulgentias, peccatorum remissiones, & pænitentiarum relaxationes, quas consequuntur Confratres & Consorores, dictarum Confraternitatum, assistendo processioni Sanctissimi Rosarij qualibet primâ Dominicâ Mensis.

Octavò. Præterea idem Summus Pontifex in eodem Brevi concedit, ut omnes hæ Indulgentiæ, peccatorũ remissiones, & pænitentiarum relaxationes, possint per modum Suffragij animabus Defunctorum applicari.

CAPUT XI.

Quomodo omnes prædictæ Indulgentiæ ad infirmos, ac legitimè impeditos extendantur.

PRæter ea, quæ Capite 5. & 9. diximus. Sciendum Sixtum V. in præfato Brevi: *Dum ineffabilia*, Confratribus Confraternitatum tàm hactenus erectarum, quàm in posterum erigendarum itinerantibus, navigantibus & serviẽtibus, totum Rosarium, infirmis verò, aut alias legitimè impeditis, tertiam ejus partem devotè recitantibus, necnon temporibus debitis, & ab Ecclesia statutis confitendi, & communicandi firmum prositum habentibus, qui Capellam Sanctissimi Ro-

mi Rosarij in Ecclesia Sanctæ MARIÆ super Minervam Ordinis Prædicatorum Romæ, aut alias Ecclesias, vel Capellas ubicunq; dicta Confraternitas Canonicè erecta fuerit, ijs diebus quibus festa Mysteriorum Rosarij celebrantur visitare, & processioni, quæ primâ Dominicâ cujuslibet Mensis fieri solet interesse non potuerint plenariã Indulgentiã concedere & elargiri, illisque communicare omnes & singulas Indulgentias, peccatorumq; remissiones, etiam plenarias concessas & concedendas in futurum omnibus Confratribus & Consororibus in præfatis diebus Capellas, seu Ecclesias Rosarij visitantibus, ac dictæ processioni interessentibus, perinde, acsi ijsdem diebꝰ dictas Capellas, seu Ecclesias personaliter visitarent, & processionibus hujusmodi interessent; Advertant nihilominus Confratres ut debitâ contritione muniantur.

CAPUT XII.

Indulgentiæ pro Defunctis.

PRimò. Gregorius XIII. in Bulla quæ incipit: *Omnium Salvatoris*, 6. Octobris, 1582. concedit Ecclesiæ Ordinis Prædicatorum loci Racconsij ubi est Altare Sanctissimi Rosarij, quod non est altare majus indultum Altaris privilegiati, quoties ab aliquo dictæ Domûs Sacerdote duntaxat Missa Defunctorum celebratur, pro anima cujuscunque fidelis defuncti Confratris Sanctissimi Rosarij.

Secundò. Clemens X. concedit omnes Indulgentias Capitulo 10. numero 6. recensitas posse applicari per modum Suffragij Animabus defunctorum.

Tertiò. Præterea Innocentius XI. concessit & indulsit in perpetuum, ut omnes & singulæ Indulgentiæ Confratribus & Consororibus Rosarij concessæ possint ab ijsdem, per modum Suffragij applicari animabus fidelium defunctorum, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint.

Forma, ut vocant absolutionis, seu modus impartiendæ Indulgentiæ Confratribus Rosarij in articulo mortis.

Confiteor: *Pater Spiritualis.* Misereatur, &c. Indulgentiam, &c.

DOminus noster IESUS CHRISTUS, Filius DEI Vivi, qui Beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atq; solvendi, per suam pijssimam misericordiam, recipiat confessionem tuam, & remittat tibi omnia peccata, quæcunq; & quomodocunq; in toto vitæ decursu commisisti, de quibus corde contritus, & ore confessus es; restituens tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti, & per Indulgentiam plenariam à Summo Pontifice Innocentio Octavo Confratribus Sanctissimi Rosarij in articulo mortis constitutis concessam, liberet te à præsentis ac futuræ vitæ pœnis, dignetur Purgatorij cruciatus remittere, portas inferi claudere, Paradisi januã aperire, teq; ad gaudia sempiterna perducere, per Sacratissima suæ Vitæ, Passionis, & glorificationis mysteria Sanctissimo Rosario cõprehensa. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto DEUS unus vivit & regnat, in secula sæculorum, Amen.

Die XI. Iulij, 1679. Sacra Congregatio Summarium hoc Indulgentiarum à se recognitum approbavit.

A. Cardinalis Homodeus. Loco ✠ Sigilli.

Michaël Angelus Riccius, S. Congregationis Indulgentiarũ, Sacrarumq; Reliquiarum Secretarius.

CUm autem sicut eadem expositio subjungebat dictus Antonius Magister Generalis, Summarium hujusmodi quo firmiùs subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patro-

cinio communiri, & alias opportunè in præmissis à Nobis provideri, ac ut infra, indulgeri plurimum desideret. Nos ipsius Magistri Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumq; à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sentteijs, cesuris & pænis, à jure, vel ab homine, quâvis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium duntaxat consequẽdum harum seriè absolventes, & absolutum fore censentes Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humilter porrectis inclinati, præinsertum Summarium Indulgentiarũ, & Gratiarum Spiritualium, omniaq; & singula in eo contenta, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illiq; inviolabiliter Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus. Præterea, præfato Antonio moderno, & pro tempore existenti Magistro Generali dicti Fratrum Ordinis Prædicatorum, eoq; à Romana Curia absente, Vicario Generali ejusdem Ordinis itidem pro tempore existenti, Confraternitates sub Titulo Sanctissimi Rosarij, hujusmodi in quibusvis mundi partibus, servatâ tamen Coostitutionis fel: recor. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris Nostri, quæ incipit: *Quæcunq; à S. Sede Apostolica, &c.* vij. Decembris, M. DC. IV. editæ, ac decretorum hujus Sanctæ Sedis, præsertim circa distantiam locorum in erectione Confraternitatum, similis instituti servandam emanatorum formâ & dispositione, erigendi & instituendi quamcunque necessariam & opportunam facultatem Auctoritate & tenore præfatis tribuimus, & impertimur. Ac omnibus & singulis Confraternitatibus utriusque sexûs Christi fidelium sub eodem titulo Sanctissimi Rosarij ubicunq; locorum hactenus erectis, ac in futurum, tàm in præfati Ordinis, quàm in alijs quibuslibet Ecclesijs, vel Oratorijs, per memoratum Magistrum Generalem, seu Vicarium Generalem, si-
cut

Nobis
Nos
n Do-
à qui-
alijsq;
mine,
et in-
sequẽ-
entes
ilter
tiarũ,
nten-
mus,
is ro-
ectus,
Præ-
stenti
, eoq;
rdinis
Titulo
ibus,
Papæ
Sede
creto-
orum
dam.
uendi
ucto-
omni-
isti fi-
loco-
dinis,
nemo-
m, si-
cut